

Wd. 72.

8.ij
3

DISSE^TRAT^IO NATURA ET INDOLE PRÆCIPUARUM SPECIERUM JURISDICTIONIS Germanicæ Politicæ.

Q U A M

In Alma & Perantiqua Universitate
Coloniensi Ordinario sub

P R Ä S I D I O

*Prænobilium, Clarissimorum, Consultissimorumque
Virorum ac Dominorum,*

D. GERARDI ERNESTI HAMM,
J. U. D.

Professoris Ordinarii, & Publici, Venerandæque Facultatis
Juridicæ Dictatoris,

Nec non

D. GUILIELMI DE MONTE, J.U.D.
Professoris Ordinarii, & Publici, ejusdémque Facultatis Fisci,

*Pro consequenda in utroque Jure Summi Gradus Licentia in
Publico Juris Auditorio Defendet*

Author

MATTHIAS CLASEN, ex Eckem.
Anno 1754. Die Mensis Julii.

Coloniæ Typis GEREONIS ARNOLDI SCHAUERBERG.
Cum Privilegio Venerand. Utriusque Juris Facultat.

DISSERATO
MATURA a TINDO
PREGPUARU
SPECIERUNTRUSICETONS
Genunicos Poligos

Absurdum est, si promiscuis actibus rerum turbentur officia, & aliis creditum aliis subtrahat.

XXIII. C. de Testamentis.

PROLE-



PROLEGOMENA.

§. I.  Mperans cujuscunque civitatis Jus haber dirigendi actiones subditorum ad salutem, & securitatem publicam ; salus vero publica eorum actionibus multiplici modo pariter & promoveri, & conservari, ac impediri, & turbari potest ; patet adeo jus dirigendi pro actionum diversitate in varias abire species, quæ *Jura Majestatica* vocari solent.

§. 2. In specie verò non exiguum capiet detrimentum salus publica exinde, quod subditi negligant suas implere obligationes, aut dubiæ eorum obligationes manent indecisæ. Hinc *Ius imperanti oritur adstringendi singulos subditos, ut satisfaciant suis obligationibus*, ideoque *cognoscendi super obligationibus eorum dubiis* ; quod jus vocatur *Potestas Judicaria*. Quæ proinde est jus majestaticum.

§. 3. Hanc potestatem judicariam ipse imperans exercere potest, potest quoque eandem Officialibus seu Judicibus & Magistratibus eundem in finem constitutis de-

mandare suâ auctoritate exercendam; *Qua demandata cuiusvis potestas dicitur Jurisdictio.*


§. 4. Quam nos vocabulo tribuimus definitionem, conveniens est receptæ in Germaniâ loquendi rationi; * Secundum quam *adstringendi potestas seu imperium* primario inspicitur; quod & vocabulum Germanicum, *Gerichts-Zwang*, denotat.

* Quas alii definitiones præsertim ex Jure Romano tradant, iis non immoratur; maxime cum Jurisdictionem apud Romanos cognoscendi, & judicandi potestate absolví, improbabile non sit; consequenter utramque ipsâ statim definitione discrepare.

§. 5. Quandoquidem ergo Jurisdictio Germanica principaliter in *potestate adstringendi* consistit; potestatis vero gradus * concipi possunt; non repugnat Jurisdictionem dividi in superiorem & inferiorem, prout potestatis quantitas Major, vel Minor in eadem intellegitur.

* Inde ab antiquo Jurisdictionis gradus apud Germanos obtinuerunt. Sic hodieum adhuc quibusdam in locis Jurisdictionem secundum triplicem gradum dividunt in altam, medium, & bassam; qua triplex partitio nonnullis in locis vix videtur sufficere. Nos eandem secundum duplēm gradum in *Superiorem seu Altam & Inferiorem seu Bassam* sequenti capite divisam considerabimus.

CAPUT



C A P U T I.

Divisio Jurisdictionis ratione Gradus Membrum I.

De Jurisdictione Superiore seu Alta.

§. 6. Quædam causæ ex Germanorum institutis ita compa-
ratæ erant, ut de iis non cognosceret nisi Rex aut
Princeps, aut cui Rex aut Princeps id concessisset; quas vo-
carunt *causæ Majores*. *

* Causæ apud Germanos vel erant *causa magna*, id est quæ *famam*, *ri-
tam*, *dignitatem*, & *maxima bona* attingerent; quæ, si exoriebantur
inter primos v. gr. Duces, Episcopos, & præcipios Comites *Majores*
dicebantur. Cæteræ causa omnes simpliciter *Minores* vocabantur. Ha-
Minores autem alio respectu rursus erant vel *Majores*, vel *Minores*. De
quâ divisione hic agitur. Quos Rex, aut Princeps in *Causis Majoribus*
judices Ordinarios constituebat, *Comites*. Die *Gauen*. Vocabantur;
quorum singuli præfecti certo *cuidam pago* Germanice, *Gau*, id est
regioni seu tractui in quo plures vici. Judicia eorum *Malli publici*
dicti, eo quod sub dio in loco certo signo (*Mahl*) veluti arbore pro-
cerâ, statua, cruce notato, celebrabantur Quotannis ter aut quater; in
quibus totus pagus subjectus sponte comparere debuit. De quibus ju-
diciis plenissime egit Christ. Ulricus Grupen *in discep. & observ.* ob-
serv. 2.

§. 7. *Majores* itaque *Causæ* erant, quarum *cognitio potesta-
tem requisivit singularem*; seu potestatem à Rege vel Principe
concedendam. Cæteræ proinde *causæ Minores* dicebantur,
quas priuati coram judice, aut à se electo, aut à Comite ad
Minoris momenti lites dirimendas constituto potuerunt insti-
tuere.

A 3

* Eius-

6 Caput I. Membrum I. De Jurisdictione

* Ejusmodi causaes majores in precepto Ludovici Imperatoris pro Hispano exule apud Pythœum enumerantur : *Ipsæ vero (scilicet Hispanus exul) pro MAJORIBUS CAUSIS sicut sunt homicidia, raptus, incendia, depredationes, Membrorum amputationes, furta, latrocinia, aliarum rerum invasiones, & undecimque à vicino suo Criminaliter aut Civiliter accusatus, & ad placitum venire jussus ad Comitis sui mallum venire omnimodo non recusat.* CÆTERAS vero MINORES causas More sicut hactenus fecisse noscuntur, inter se mutuo definire non prohibeantur.

§. 8. Quæ circa causaes majores versabatur *Jurisdictione alta*, seti bannum Regium dicebatur, & judicium *in quo proponebantur, *Judicium altum*, Germanice, die Ober-Gerichte, Hohe-Gerichte, Gau-Gerichte vocabatur.

* Altitudo, uti du Fresne in Glossario notat, erat titulus Regius, & appellatio: *Hohe Männer*, ad Principes demum & Comites pertinuit; hinc eorum potestas merito nomine *Alta jurisdictionis* insignebaratur, quia in his principalibus Mallis sub banno Regio judicarunt. Charta Theod. Episcopi Paderb. Ann. 1317. ex Schatenio: *Altum judicium, quod vocatur Gau-Gerichte, quarent, sicut illud ab antiquo querere consueverant.*

§. 9. Præcipuum inter causaes majores locum obtinebant illæ, in quibus quarebatur *de Læsione Corporis humani* v. gr. de vulneribus, de effusione Sanguinis, de Membrorum amputatione &c.

* Jus feudale Aleman c. 42. Alle Gerichte, die über Blut runen, und über Todtschläge gont, die soll man alle von einem Römischen König empfahen. Lædebatur Corpus humanum tunc demum, quando quid ultra Cutem, & Crines in ipso ejusque substantia accideret. Ubi majores nostri fere eodem modo cutem & crines à corpore separarunt, quo distinguimus uniuscujusque animalis pellem & pilos tanquam externum integumentum ab ipso corpore. Hinc intelligitur formula: Zu Haut und Haar richten. Scilicet quando de lassione corporis nou eslet quæstio.

§. 10. Quæ *Jurisdictione* ad *Corpora* pertineret, seu cuius objetum essent *causæ corpus humanum concernentes*, *Jurisdictione* *Corpo-*

Superiore seu Alta.

7

*Corporum seu Corporalis , * item placitum Spadæ dicebatur
Germaniae Blut - Ban*

* Hujus itaque Jurisdictionis proprium erat querere super vulnera inflito, effusione sanguinis, Blut-Runnent, debilitate Corporis, Lâmde / &c. imo sufficiebat ex lesione dannuni in Corpore metuendum esse. Codex legum Normannicarum p. 1. C. 8. §. 8. ita habet: *ex irrogatione vero injuryia quis justiziandus est, quando talem alicui injuriam intulerit, ex quâ MEMBRORUM SEQUITUR DAMPNAMENTUM; ut mortem, vel Mebagnum, vel enormem CORPORIS LÆSIONEM & PERICULOSAM de morte vel Mebagnio. Qui codex extat in dn de Ludwig Reliq. MS. tom. 7. quæ leges in altâ & civili Jurisdictione cum Germanorum moribus magnopere conseruent.*

§. 11. Ipsæ autem Causæ Corporales vel instituuntur ob læsionem Corporis factam , aut metuendam; vel ita instituuntur, ut ex iis sequatur læsio Corporis tanquam *Pena lædentis*. Hæ ultimæ in specie *Cause Criminales* * Germanice, *peinliche Sachen*, dicuntur

* Charta Caroli IV. ex Schatenii Ann. Paderbi. *qua non potest in CAUSIS CRIMINALIBUS, quæ Capitis & membrorum plexionem exigunt, exercere judicia, nisi jurisdictione hujusmodi à Romanâ imperatoria potestate suscipiatur.*

§. 12. Quæ in *Causis Criminalibus* jurisdictione obtinet, *Criminalis* * dicitur, quæ proinde sub alta & Corporali continetur. Nequaquam tamen proprio loquendo pro Synonimis haberi possunt.

* Variis præterea nominibus expinximus. Dicitur *Ungericht*. Gundling ad Digest. tit. de Jurisd. Jus Patri §. 12. Not.* *Judicium Colli & manus : zu Hals und Hand*; quia ultatiiores penæ Corporales erant Mors & Manus amputatio. Inde quoque *Hals- Gericht* simpliciter dicitur. in Franconia præsertim *Centena Zent.* vocatur vid. Wehnerius in *Observ. roce Zent.* quavis hujus vocis varia præterea significatio, ut infra notabimus. *Alibi*, die *Fraiss.* Hodie sapius *alta Jurisdictionis* nomine olim Generico indigitatur & quoniam Romanorum Jurisdictione *Criminalis*, si ita dicere fas est, *Meri imperii* nomen tenuit; idem

Capit I. Membrum I. De Jurisdictione

idem huic Germaniae usu præsertim recentiorum temporum vindicatur.

§. 13. Præter causas, quas *criminales* §. 11. diximus. quod ex iis sequeretur capitis vel membrorum plexio, ad jurisdictionem quoque criminalem referre oportet illas causas, *in quibus obtinent pœnae corporalibus æquales*; * ejusmodi Pœnae plures numerantur v. gr. exilium, bonorum omnium confiscatio, famæ & bonorum omnium privatio.

* Id generatim ratio hujus jurisdictionis convincit, & de singulis seorsim quoque ostendi potest. de confiscatione omnium bonorum reformatio politica Augusta Vindel. promulg. An. 1548. tit. die Monopolia und schädliche Wörkäuff belangend. Verba: dero Haab und Güter sollen confiscriet, und der Obrigkeit jegliches Orts, so peinliche straff der ende hat, Verfallen seyn.

De infamia, nempe qua ob crimen pœna nomine signis præsertim externis adhibitis directo irrogatur, non vero, qua ex facto contrahitur, habet art. 104. C.C.C. Varie hæc ignominia & olim, & hodie decerni solet, singularis olim modus erat, qui *harmisca* dicebatur, vid. Otto Friising Annal. L. 2. C. 28., hodie adhuc usurpatum *miffo ignominiosa*, *relegatio* seu *ejectio ignominiosa pœna nomine*, schimpliche Verweisung, *Larades* = Verweisung, *constitutio ad palum infamantem*, pranger, lasterstein, Fack schandpfal. hic pertinent quoque *numella*, *Halsfeisen*; quibus ad palum infamantem forte collum rei constringitur. *Fustum percussio moderna*, hæc coercitio olim in causis demum minoribus obtinebat, quam Juris Prov. Aleman. interpres per formulam. *Zu Haut und zu Haar* vertere suevit, qua punitio nonnihil variata hodie pœna Corporali saltem æqualis habetur, & consequenter formula: *zu Haut und zu Haar*, haec tenus ad Jurisdictionem Criminalem est accommodanda.

§. 14. Illud vero nihil attinet, quod pœna Corporalis aut Corporali æqualis Actu in dato Casu non infligatur; sufficit judicem *vi legum posse infligere* pœnam Corporalem, aut Corporali æqualem, seu talem pœnam esse legibus metuendam. *

* Ita si procurator quisquam alterius existens in causis vel Civilibus vel Criminalibus dolo malo contra rem domini è re autem adversarii ageret; damno restituto ad palum infamantem exponitur, & fustibus vel virgis Cælus

Cæsus patriæ finibus ejicitur , juxta , C.C.C. art. 115. sed quanvis hæc poena moderationem aliquando acciperet , tamen quia citra morationem forte statuendam generaliter definitum est relatum poenam obtainere , istius Criminis coercitionem Criminalis Jūdex sibi recte vindicabit .

Ita qui mensuras vel libras vel pondera corrumpit , vel merces , der soll zu peinlicher Straffe angenommen / ihm das Land verbotten , oder an seinem Leib nach Gelegenheit und Gestalt der Überfahrung gestrafft werden : C. C. C. art. 113. Hinc nisi leges particulares vel consuetudines locorum mitiorem , & hujusmodi poenam substituerint , ut coercitio potestatem inferioris judicis non excedat , nec aliis Jūdex V. gr. territorialis eam juste sibi vindicet , dicendum est , eam nihilominus Judicis Criminalis postestati subjici , licet pena ejusmodi de facto non infligatur .

§. 14. A potiori itaque subtrahendum non est delictum Jurisdictioni Criminali , siquidem pro poena Criminali , aut æquali legibus forte definita substitui vel irrogari alia à judge posset *

* Ita quibusdam in locis poenæ fustium sive palo infamanti substituitur damnatio ad opera publica , ad tritemes , ad carcerem perpetuum ; sepius pecuniaria pena substituitur . Ubi tamen respiciendum quæ sit in dato loco Judicis Civilis potestas , quæ utpote relatum potestatis Criminalis hanc sepiissime pro suâ qualitate restringit . V. gr. Jūdex Civilis immunitatis seu advocatæ , de quo in membro sequenti , omnia commoda in sua advocatione percepit ; adeoque & penas pecuniarias , licet Jurisdictione Criminali destitutur . Itaque ut determinetur quam late pateat potestas Judicis Criminalis in dato loco , non tantum respiciendum est ad qualitatem Causarum , An. V. gr. Poena Corporalis aut Corporali Aequalis ex iis sequatur , aut metuenda sit , sed præterea inspicienda Judicis in primis Civilis istius loci potestas tam in poenis pecuniariis dictandis , quam in aliis nonnullis . Dico imprimit : nam & potestate aliorum V. gr. territorialis restringi potest , uti suo loco patebit . Hinc Regulan sequentem adjicere juvat .

§. 15. Civilem , & Criminalem poenam , Civilem & Criminalem Causam , Civilem , & Criminalem Jurisdictionem , sibi mutuo opponi , notum est ; ita ut quod Criminale non esset , modo tamen quoque sit nec Feudale nec Ecclesiastico ,

*Caput I. Membrium I. De Jurisdictione
cum, Civile, dicatur; hinc, præscindendo ab iis quæ aliis
fortè Judex V. gr. territorialis sibi vindicat, dicendum,
Causas Criminales esse, quæ inter Civiles in dato loco non
numerantur **

* Ita in loco, ubi Judex Civilis advocatiā tenet, Judicis Criminalis
potestas in iis omnibus deficit, quæ pecuniariam multam admittunt;
uti hic assērimus, suo autem loco offendemus. Vice versā, si Judex
Civilis sit vulgaris, seu non ad vocatīlis, qui nonnisi certā sibi præ-
finitā summa multare possit, is delicta V. gr. coērcere non potest,
quamvis ejusmodi delicta civiliter coercere jubeant, si pœnam iis pro-
positam Judex Civilis iustigere non valeat; V. gr. Furta minora sim-
plicia in fructibus comedibilibus, furtivæ lignorum in forestis & syl-
vis casiones, coērcitio usuraria pravitatis; quæ ad Criminalem Ju-
risdictionem referuntur tunc eatenus quidem, quatenus nec de alterius
Judicis Jurisdictione in hujusmodi Causis constat. Per se patet,
Causam hic alio sensu Criminalem dici ac §. 10.

§. 16. Illud vero sicut aliis Jurisdictionibus commune est;
ita pariter Criminali convenit, ut Causa, cuius alias proprie-
Judex competens est, ideo ad forum Criminale trahatur,
quia hic pendet causa quædam principalis, sine qua tractari
nequit illa *

* Ita vel hac ratione quæstio de auxilio in majori Crimine lato, vel
ope præstātā ad Jurisdictionem Criminalem refertur; siquidem ipsum
Crimen principale eo referendum sit. Idem de latronum & crimi-
nosorum receptoribus valet. Ita *Clamor violentiarum*, qui etiam *Clamor de Haro*: dāß Geruff / dicitur, & in Majori demum Crimine
ob factū Manuale, auff Handhafster That, tolleretur ad Judicem
Criminalem pertinuit ob hanc connexionem, quod in legib[us] Nor-
mannicis p. 1. c. 56. §. 1. eleganter declaratur.

§. 17. Propemodum cum regula præcedente coincidit hæc,
quæ Judici Criminali tribuitur id, quod ex Causa Criminali
descendit; ejusque est veluti accessorium

* Hac ratione Judicis Criminalis est decernere denegationem honestæ
sepulturae. Scilicet vel ritus, quos in sepultura adhiberi fas, omittend[ur]
decernuntur ob Crimen, ita ramen, ut in loco inhonesto se-
pulru-

pulturam fieri simul non decernatur; vel eadem quoque decernitur in loco in honesto primario infamiae causa fieri; primus Casus huc pertinet, alter de se ad criminalem refertur.

§. 18. Ut Alta seu Comitum Jurisdictio varias subiit mutationes, ita etiam quoque Criminalis Jurisdictio, qualis §. 11. proposita est, omnino integra quibusdam in locis, praesertim in Franconia, non remansit; ubi quatuor Crimina *Incendium homicidium dolosum, rapina, & furtum* constituunt objectum Jurisdictionis Criminalis gradu altioris, quae Centena, * die Zent, vocatur

* Vid. Wehnerus in Observ. pract. voce: Zent. dicuntur die vier Haupt-Rugen, Mord, und Todtschlag, beroeister Raub, und Diebstall / Noth-Zwang, und Brand. Quae Crimina ut Eminentiora quibusdam in locis praesertim in palatinatu semper excipi, & in quavis concessione reservari idem Wehnerus c. 1. p. 523. annotavit Vid. quoque Kressii Diff. de variis jurisdictionis Criminalis in Germania Generibus

§. 19. Quae ad exercendam Criminalem Jurisdictionem, eandemque rite obeundam necessaria sunt, ea Judicii Criminali per ipsam Jurisdictionem Concessa sint oportet *

* Quod hic specialiter de Criminali Jurisdictione diximus, ad quamcunque applicari potest. l. 2. ff. de Jurisd. *Cui Jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus Jurisdictio explicari non potuit.*

§. 20. Hinc ante omnia Generalem inquisitionem Judex instituit, id est, in facti veritatem, seu, ut loquimur in corpus delicti inquirit; reum deinde Majoris Criminis, siquidem indicia sufficient, vel verbis ad se citat, vel pro re nata apprehendit, * aut per litteras apprehensorias, *Steck-Brieze*, aufugientem curat apprehendi in loco Jurisdictioni fux non subjecto.

* Judex Ministros Ordinarios habere solet, ad Reum capiendum, & in captivitatem deducendum, qui, si non sufficient, aut plane desint, ad hujusmodi Capturam aliaque servitia extraordinaria obligantur sub-

B 2
diri,

Caput I. Membrum I. De Jurisdictione

diti. Procul dubio aliis judicibus hoc casu permittitur, facinorosum persequi, imo si aliis judicibus quis plane sit exemptus, ipse in reorum Captura Criminalem Judicem Criminali Jurisdictione licet destitutus omnino excludit, ut id de judge Advocatali Civili mox ostendimus. Minus tamen recte ejusmodi Judex Civilis literas apprehensorias emitteret, utpote quæ nihil aliud sunt, quam subfidalis apprehensio in ditione aliena quam concedere Judici Civili quæ tali absolum foret, tradi enim sibi facinorosum ille demum jure postulat qui animadvertere in eum potest.

§. 21. Captus facinorosus custodiendus est, ad eruendam à negante veritatem apud nos tormenta adhibentur; quandoque aliorum testimonii & confrontationibus opus est &c. quæcunque ergo vel leges expresse permittunt, vel ipsa rerum natura postulat, ea à judge recte adhibentur.

* Sic pariter ad formandum judicium, causas cognoscendas, sententias suppeditandas, ex Germanorum institutis Scabinis opus erat. Hanc ergo functionem publicam Subditi, si subire detrectent Judex Criminalis eos ad hoc cogere potest.

§. 22. Cui jus exequendi capitales sententias concessum est, ei concessa quoque sunt, quæ leges aut ipsa rei natura postulat in earum executione *

* Ad exequendas capitales sententias, item ad fustigationem, reive ad palum infamantem expositionem, vel signa infamia imprimenda, carnifices eorumque servi adhibendi sunt. Jus ergo carnifices tenendi, porro patibulum paloque infamantes erigendi & alia hujusmodi hoc ipso concessa sunt. Dixi notanter, cui jus exequendi concessum hoc autem Judici Criminali quibusdam in locis concessum non esse sequenti §. notabimus.

§. 23. Concessam comitibus potestatem *Bono regio* denotari aliquoties dictum. Verum si *bannum regium* proprie sumatur, tantum designat potestatem ferales sententias exequendi *

* Vid, Schilteri comment ad Jus Feudale Aleman. ad C. 42. §. 13. quæ exequendi potestas, seu bannum licet passim Jurisdictioni Criminali adhæreat, non definet tamen loca, ubi separata deprehenduntur. Sic

Hei-

Heinicius in elem. Jur. Germ. I. 3. §. 63. refert, hala Magdeburgi-
æ Academiam & Senatum Jurisdictionem Criminalem exercere,
at neutrum executioni mandare sententias capitales. Contra Judi-
cium Regium, Die Berg, Gerichte sententias capitales exequi, cum
tamen non cognoscat de criminalibus. Sic bremæ civitas in Causis
Criminalibus inquirit cognoscit & sententiam fert Capitalem, quam
Advocatus Regius, Olim Archi-episcopi, Celebrato solemni judicio Cri-
minali exequitur, ita Mindæ, ubi Præfectus, qui Wickgraf dicitur,
sententiam solummodo exequitur.

§. 24. Sunt & alia pro Regionum usu, jura & Commoda
jurisdictionis Criminalis, quæ ex antiqua Comitum seu judicium
proprie talium jurisdictione supersunt tanquam frætae è Nau-
fragio Tabulæ; * & uti dubia super iis orta ex antiquis germano-
rum institutis tolli debent, ita de iis tractari hoc loco nihil
attinet; Maximie, Cum ea de re nihil universe affirmari possit.

* V. gr. jurisdiction Comitis seu judicis alti Bannum Reginæ erat, quo
ad sui protectionem indigebant præsertim exteri & Peregrini uti status
Medii Ævi secum cerebat, quo jus Mandarium, Das Haust Recht
obtinebat. Cum itaque peregrini, & exteri eorumque res in protec-
tione judicis alti essent; porro mercatus, nundinæ, tabernæ, cau-
ponæ, encænia &c. propter peregrinorum adventum sine barno re-
gio celebrari non potuerunt, quæ prouide protectionis commoda
erant v. gr. tributum protectorum, Schuþ Geld, Kirchweya
Schuþ, ipsi quoque obvenerunt. Vid. Pfeffinger in vitriario illu-
strato T. 3. l. 3. t. 2. §. 7. n. c. Jam vero ad jurisdictionem altam
pertinebant omnes causæ majores, inter quas & erant causæ crimina-
les. Postea vero cum ista Jurisdiction quasi dissecaretur in partes, ac-
cedid nonnullis in locis, ut ejusmodi jura propria altae Jurisdictioni tan-
quam reliquæ adhuc adhaerere pergerent Jurisdictioni Criminali ob-
nexum, qui olim intercederet; non vero, ac si ex Jurisdictionis
Criminalis natura talia fluenter. Par ratio est de Jure Fisci quod Ju-
risdictione alta olim quoque continebat, ut bona vacantia & quæ ad-
espotorum nomine veniunt, ei cederent. Vid. Schilterus in Exercit.
so. ad ff. Quod quidam Doctores ad Jus venationis altae extendere
annisi sunt, quod tamen nostri ævi prudentibus minime compre-
batur.

C A P U T I.

Divisio Jurisdictionis ratione gradus
Membrum II.*De Jurisdictione inferiore seu bassa.*

§. 25. **C**AUSIS majoribus opponebantur Causæ Minores uti §. 7. in nota dictum ; quæ circa easdem Jurisdictione versabatur , Inferior ; eamque exercens , *Judex* * *Inferior* dicebatur

* Comes cum omnibus causis ipse superesse non posset , pagum , cui præterat , in certos tractus dividere , singulisque , qui de minoris momenti causis jus diceret , judicem præficere , qui *Inferior* , alio nomine *Bassus* , *Centenarius* , *Centenus* , Cent - Graff vocabatur . Præter hos vero judices inferiores , qui sub comitis dispositione jus dicerent , nonnunquam aliis mandabatur Jurisdictio , qui *Vice - Comes* , seu *Vicarii* dicebantur apud Francos *Schultei* , *Schuldasii* , item *Procuratores Judicis* dici sueverunt ; qui absente judge in Minoribus præterit causa Jus dicerent , præfente vero nihilominus *Scabinorum* tentias de quæstionibus à Judge propositis exquirerent , Acceptasque Judici referrent . Præterea in judicialibus causis omnibus causam Judicis ipsius agerent . *Vid. jus Prov. Sax. l. 1. art. 59.*

§. 26. Post varias demum vicissitudines , quas subiit Status publicus Germaniæ , nota nunc quidem est oppositio inter causas *Criminales* , & non *Criminales* seu *Civiles* s. 15. *Inter judicem Civilem & Criminalem* , vetus tamen distinctio inter *Majores* & *Minores* causas , inter *altum* & *inferiorem* Judge usu nulli reperire est *

* Ideo tamen nullius utilitatis esse distinctionem hanc veterem nemo , credo , erit , qui asserat Status enim publicus posterior quisque ex antecedente quasi fluit ; ita ut , qui modernum Jurisdictionis statum rite intelligere velit , necesse est , eundem præteritas ejusdem vicissitudi-

tudines habere perspectas. Cum Jurisdictio nostra Criminalis ex altâ tanquam ejusdem pars olim præcipua, & Civilis nostra Jurisdictio ex inferiore continente partem ejusdem olim præcipuam, plurima & varia pro locorum diversitate trahat. Vid. Nota ad §. 24. Certe Criminalem nostram altâ, & Civilem inferioris nomine indignari, ad oculum patet.

§. 27. Pauciores, non tamen nullas fuisse causas Civiles, antequam jurium peregrinorum usus in Germania innotesceret, varie varii rerum Germanicarum periti colligunt *

* Conring in *Dissert. de Judiciis reip. Germanica Th. 18.* Mores populi baud obscuro sunt indicio, lites RARAS fuisse, tota enim gens non astuta . . . Matrimonia severa, paucissima in tam numerofa gente adulteria: Haredes successoresque sui cuique liberi: eaque sola & gratissima opes fuerunt: proximi Romanorum commercia aliqua instituerunt, inferiores populi simplicius & antiquius permutatione Mercium sunt usi . . . illis autem moribus, arque illis institutis in mores translatis, RARAS admodum lites & compositu faciles babere locum nemo paulo prudenter ignorat.

Et Heineccius in *Elem. Jur. Germ. l. 3. t. 1. §. 7.* At sunt & alia iuridicia lites olim fuisse paulo RARIORES. Nam praterquam quod multa alibi jure disceptari solita armis disceptarent, multa etiam reliquise rividentur Jurisdictioni cujusque domestica, adeoque causas Uxorium, Filiorum, quin & servorum, ac rusticorum RARO admodum cognovisse iudices vel principes probabile est.

§. 28. Ex quo jura peregrina præsertim justinianum pedem in Germaniam intulerit, causarum quoque Civilium numerus magnopere auctus est; Jcti enim Germania juribus his enutriti, nihil antiquius habuerunt, quam ea in praxin deducere, & ad casus obvenientes applicare. Resistibant Germaniae proceres, aliique, quibus jus tam subtile & tortuum prægnans minime placebat, vel inde magnam litium segetem succrescere necessum erat *

* Conring, In *Dissert. lit. tb. 97.* Eo tempore preter ANTIQUUM MODUM litibus tota pene Germania capie ABUNDARE; cuius malitia

Capit I. Membrum 2. De Jurisdictione

Causam multos ordinum in Doctores Juris ROMANI tum retulisse, eoque illos ab omnibus Judicis & consilii voluisse abigere, ipsum quoque Jus Romanum Germania omni statuisse ejiciendum. Manifestum est ex iis tabulis Reformationis quas habet Goldastas p. 1. Reichs-Sak. p. 166.

§. 29. Quæ tamen nihil impedierunt quin progressus indies majores ficerent jura peregrina, ut tandem publica recipierenetur lege; inde frequentior expetebatur causarum decisio publica auctoritate facienda maxime, quando una cum perpetua & universalis pace publica quisque jus suum in judicio persequi jubebatur. *

*. Instituebatur hunc in finem Judicium Cameræ imperialis tanquam Judicium Supremum Germaniæ domini territoriales in suis provinciis constituebant Curias provinciales, quæ essent Judicia Cujusque territori suprema, Confirmabantur Civitatum Judicia, quæ hucusque persistierunt ut plurimum isdem in Collegiis quibus reliqua reip. vel saltem Politiae cura Commissa erat &c.

§. 30. Ab hoc tempore Germanica Jurisdictione præsertim Civilis eam induit faciem, qua hodie Conspicia est, & utica in re non nihil receptioni juris Romani Tribui debere facile largimur; ita perinde ex Romanorum institutis, & principiis * nunc dijudicari posse Jurisdictionis Civilis Germanicæ naturam plane non videtur

*. Quæ Celebriores Jeti hinc differunt longius esse adducere, D. Mevius p. 4. decis. 290: inuitiles & peccatoſi sunt & dorum illi, pui de moderna jurisdictionis forma ex Legibus Romanis Censent & disputant.

B. Titius in jure privato L. 8. C. 10. §. 14: hodie juris Romanii hac in parte exiguis vel nullus est usus; nam nomine jurisdictionis facultas & cognoscendi & exequendi venit; præterea quid ad jurisdictionem Civilem referre debeat, aut quid juris huic aut illi Magistratui adscribendum sit, nec ne, illud non ex jure Romano, sed ex propriis principiis judicandum est; ut ut forte ex regulis artis Legaleje non nunquam aliter pronuntietur.

§. 31. Jurisdiction apud Romanos in sensu strictissimo potestas erat publica jus dicendi in causis contentiosis jure ordinario Magistratibus Competens, *. definitio hæc Jurisdictionis in sensu stric-

Stricissimo ex principiis Juris Romani ita evolvenda erat : Jurisdictio *Latissime* sumpta erat Jus dicendi potestas publica, *publica* nempe, quia citra voluntatem privatorum Competeret. *Jus*, quod dicebatur, Vel sumitur pro Legibus, vel pro eo quod justum est secundum Leges latas; si pro Legibus sumatur, *Jurisdictio* idem erit, ac *Potestas Legis* lataria; si vero pro eo quod justum est secundum Leges latas, *Potestas judiciaria* dicitur. *Hæc* vel exercetur in causis *Contentiosis*, vel in causis *voluntariis*; utraque si aliis exercenda Committatur, *jurisdictio* in sensu *stricto* vocatur. *Jurisdictio* contentiosa in sensu stricto vel exercetur in Causis *Civilibus* vel in Causis *Criminalibus*, prima Romanis erat *Jurisdictio* in sensu *Strictiori*: altera *Merum imperium* vocarunt. *Jurisdictio* in sensu *Strictiori* vel competebat Magistratibus *officii*, id est hoc ipso quod essent à populo in Comitiis Centuriatis Creati, vel in specie concedenda erat; prima erat *Jurisdictio* in sensu *strictissimo*, quam modo definivimus.

§. 32. His vinculis Germanorum *Jurisdictio Civilis* haud ligatur; Multiplici ex Capite *Laxior** est ordinaria Magistratum Romanorum *Jurisdictione*.

* Ita ut plurimum nostris Jure ordinario competunt, quæ Romanis *Lege speciali*, *Senatus-Consulto*, aut *Constitutione principis* concedenda erant V. gr. que sunt *Jurisdictionis voluntariae*, item tutoris danni potestas, qui apud Romanos erant actus augustioris imperii, V. gr. *restitutio* in *integrum*, missio in possessionem rei servandæ gratia, aut ventris nomine, *damique infecti* &c. hodie ad *jus dicendis* partes simpliciter pertinent; utpote cuius est factum ad leges examinare, sententiam ferre, & exequi; inter leges autem numeranda nunc sunt *edicta* &c. quæ horum negotiorum gratia prator, aut alius Magistratus Major tulerat; qui saepe auctibus ex edicto vel aliam ob rationem suscepit non tantum nullas leges applicabat, sed potius evertebat.

§. 33. Magistratus Rommani ut eo majori authoritate *jus dicere*

dicerent, eorundem Jurisdictioni aliquod saltem adhaerebat imperium; hoc tamen Jurisdictionis partem constituisse ostendi vix potest *

* Est hæc pluribus nunc comprobata averanii sententia in interp. Jur. l. 1. C. 4. n. 5. seqq. Imperium generatim sumptum jus erat efficaciter dispensandi quid fieri debeat; concessum Magistratibus Romanis Imperium in causis Civilibus, Mixtum, in Criminalibus, merum vocarunt. Differebat proinde Jurisdictione Romana & Imperium formaliter Jurisdictione enim se exserebat per actus intellectus, & verba enuntiativa, imperium ver per actus voluntatis, & verba dispositiva. Quanquam nomine Jurisdictionis quasi quoque simul imperium, & imperii nomine simul Jurisdictionem exprimi negari non possit.

§. 34. Alia ac plane diversa facies Jurisdictionis Germanicæ veteris præsertim, tantumque aberat, eandem uti Romæ cognitione & causa dijivatione absolvi, ut potius judicis, seu Jurisdictionem exercentis quasi non esset cognoscere & sententiam invenire. *

* Glossa Juris prov. Sax. lib. 3. act. 7. Wer in gehegtem Ding sitzt und zu gebieten und verbieten hat, der ist Richter, und nicht der dasselbig halten muss, der aber so das Urtheil findet, muss solches thun umb jenes Gebotks willen. Darum ist nochmals der das Urtheil fraget, der Richter, und nicht der es findet. Das fünffte ist, wer einen Richter, soll kein Urtheil finden ut s. art. 30. s. fin. darum muss ja der kein Richter seyn, der es findet, sondern der es fraget.

§. 35. Judicis itaque cuius quasi non esset, cognoscere & sententiam invenire, partes quidem præcipua in eo versabantur, ut quando lites orirentur, ipse judicium institueret, sententiam ex Scabinis quæreret, eamque publicaret, & executioni mandaret, quibus tamen ejusdem potestas seit Jurisdictione non circumscribebatur, universim Curas suas extendebat ad omne id quo suorum salutem conservare ac promovere.

re posset : seu uti vocabulo nobis recepta nunc exprimere sollemus, suorum quoque *Magistratus ordinarius* erat. *

* Judicis officium capitularia l. 2. c. 6. eleganter & fuse describunt, ubi & ita habetur: *Monemus, ut memores sitis fidei nobis promissa, & ut in parte Ministerii nostri vobis commissi in pace scilicet & justitia facienda vosmet ipsos coram Deo & hominibus tales exhibeatis, ut nostri veri ADJUTORES & populi Conservatores iuste dici & vocari possitis, illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis sive rapinis communem populi pacem perurbare moliuntur, vestro studio & correctione sicut decet compescite &c.*

§. 36. Recepto Jure Romano, constituta universaliter & perpetua pace publicâ cum controversiæ essent tam frequentes, ut necessum nunc esset *Certa causarum genera separari, & peculiarem constituere Jurisdictionem circa id causarum genus versantem*; plures nunc Judices in eodem districtu occurrerunt; V. gr. *Criminalis, Territorialis, Civilis, &c.* qui omnes, quatenus in causis sibi commissis, seu ad suam Jurisdictionem pertinentibus, potestatem seu imperium teneant, *Magistratus* dici possunt, vocabulo à Romanis ad nos nunc translato, & ad Jurisdictionis Germanicæ propriam naturam exprimendam satis accommodato; id vero *Judicii Civili* * tanquam proprium remansit, ut sit suorum *Magistratus ordinarius*, ita ut non tantum in causis sibi nominatum commissis ejusdem potestas se exerat, sed universim se ad omnia extendat quibus suorum *Salus* promovetur, & quatenus ab alio judice non impediatur.

* Hinc est quod etiam dicatur, *Magistratus loci, Die Obrigkeit des Orts*; & ejus in suos potestas veluti Patris, esse videtur vid. Mevius P. 7. Dec. 265. His prætermisso nunc quasdam est formare propositiones, quæ sunt veluti totidem principia colligendi ea, quæ in genere ad Jurisdictionem nostram Civilem regulariter pertinent; præsertim eam quæ in *Patrimonio* alicujus existit, qualis hodie fere sunt quæ civitatibus, nobilibus &c. convenit, nataleque suos ultra

Caput I. Membrum I. De Jurisdictione

reformationem rei judicaria ostendit, nam que recentius à Domino territoriali V. gr. Officialibus committitur, maximam partem ex concedentis voluntate proxime estimare oportet.

§. 37. Jurisdiction nostra Civilis ea omnia complectitur quæ olim ad Jurisdictionem inferiorem, * seu Bassam pertinuerint, hinc est quod hodie adhuc nomine Inferioris seu Bassæ Jurisdictionis, Die Unter Gerichte, veniat.

- * Jurisdictione Inferiori seu Bassæ opponebatur alta; ad altam referenda erant cause, quarum cognitio potestatem requirebat singularem; cæteræ proinde cause Inferiori seu Bassæ relinquebantur, quales.
- 1. Erant cause pecuniaria, personales, & mobiliars Vid. Jus prov. Sax. l. 2. art. 13. Quæ vero de bonorum proprietate instituebantur, ab hac Jurisdictione removendæ erant. Jus prov. Aleman. Schilter. C. 102. Den Kunig füset man zu Rügter über aigen.
- 2. Delicta minora, quando de cute & crinibus tantum ageretur, hinc iactus, verberationes, rixa, alapæ, livores braun und blau & tumores, si nec sanguinis effusio, nec membra cujnsdam debilitatio, nec mortis periculum, nec postea vulnus inde emergat. Item Capitulationes, Haar, Rauffen, levior cutis laceratio, &c. modo non adsit circumstantia Jurisdictionem altam fundans V. gr. violentia.

§. 38. Quandoquidem ob controversiarum multitudinem convenit, Causas Civiles seu privatum interesse concernentes universim separari à cæteris, earumque omnium dijudicationem judici inferiori attribuere; quæ nunc sunt causæ Civiles, * omnes ad Jurisdictionem inferiorem pertinent; hinc est quod hodie Jurisdiction civilis, eamque exercens, Judex civilis dicatur.

- * Hinc est quod nunc ad inferiorem referantur, 1. omnes causæ reales, quæ tamen olim ad altam Jurisdictionem pertinebant; V. gr. quando ageretur de proprietate bonorum.
- 2. Causæ, quæ dicuntur Civiles in sensu specialiori, eo quod orientur ex institutis formam suam à Romanis mutuo accipientibus, vel saltem quod earum decisio ex Jure Romano sit petenda.

§. 39.

§. 39. *Judex Civilis*, cum sit *Magistratus Ordinarius*; item loci, seu *Magistratus proprie talis*, § 26. Curasque suas ad universam suorum salutem, quatenus ab alio judice non impeditur, extendat; dicendum, si *quam causam ad alium judicem pertinere non constet*, eam sibi recte vindicare judicem *Civilem* *

* Inde est quod ipsi tribuatur politiae cura, seu ut inspiciat, quidquid, in suo districtu existat, V. g. Collegia opificum, Molendina &c. &c; quatenus in suorum communione vergere posset, custodiat: quatenus vero tendit in detrimentum, idem aboliat. Inde porro jus coercendi delicta hac in re commissa, utrumque vero ipsi competit, nonnisi silvâ potestate Domini territorialis & aliorum judicum, quorum potestas mox amplior, mox vero restrictior.

§. 40. Proinde saluti suorum à se promovenda, si quorundam actiones sint contrariae, ipsius est harum coercitio; hoc vero judicatu difficultimum, *quanta*, sit in dato loco judicis Civilis potestas, cum pro diversitate loci, originis, usus &c. maxime variet. Quod si potestatis gradum seu quantitatem determinaveris, & determinatus potestatis gradus sufficiat coercitioni delicti obvenientis, regulariter quoque à judice Civili coercendum est. *

* Modus coercendi ordinarie consistit in mulieris pecuniariis, in quarum subsidium carcer, aliaque adhibentur; quantam vero multam pecuniariam *Judex Civilis* possit dictare, maxime variat; in Saxonie electorali 10 imperiales, summa est, valor, ut putant, emenda veteris, Carpov. In praxi Criminali, qu. 109. num. 63. Alibi octo, &c. dixi, regulariter: etenim si per ejusmodi delicta authoritas, potestas, aliudque judicis quam talis jus ladedatur, judicis laci est cognitio & coercitio hujusmodi delicti, proinde si contra Judicem Civilem commissa sint, etiam hac ratione eadem coeretur pcc. na ad tuendam Jurisdictionem, vel quae satisfactionem judicis dicatur propter injuriam vel damnum ipsi judici illatum proprio *Die Büsse, Abtrag*, dicitur; quae, cum delicto ab eodem simpliciter coercendo proportionata esse debeat, nihil obstat, judicem, in his

his ultra definitam sibi alias summam mulctando posse procedere.

§. 41. Quod si delictum ad sui coercitionem majorem exigit poenam, quam Judex Civilis dati cuiusdam loci possit infligere; delictum illud, nisi contra ipsius autoritatem, & potestatem commissum sit, ab ipsius cognitione, & coercitione removendum est. *

* Mulcta in furto primo minori in C. C. C. definita non est; in projecto norico cautum est, mulctam judicis eo casu rei ablata duplum non excedere debere, quae mulcta aestimatio, si admittatur, dicendum, in Saxonia V. gr. furtum majus quinque imperialium cognitione demum Judicis Civilis eximi; idem valet in aliis quamplurimis V. gr. furtu tempore diurno in fructibus commestibilibus C. C. C. art. 167. civiliter coerceri vult; scilicet, si pena hic & nunc dictanda non excedat mulctam, quam Judex Civilis possit capere, in recessu imperii Augustensi. A. 1548. tit. Bon wucherlichen Contracten, usuraria pravitas ita coercetur, ut Magistratui loci civili quarta sortis pars committatur. Eadem judici in recessu Anno 1577. vindicatur interdicta vestis, vel Cimelium cum mulcta, quae duplicatum vestis vel Cimeli pretium continet; & in recessu 1551. pariter eadem Croci falsificati confiscatio tribuitur &c. quae omnia ita intelligenda sunt, ut Judici Civili haec liceant, quatenus V. gr. quarta sortis pars, rei confiscatae pretium &c. non excedat summam, quam Judex Civilis capere possit, nisi usus aliud ferat, uti passim fert in coercitione usuraria pravitatis, ut, nempe eandem universe quarta parte puniat, quoque lucro capiat. Quod si tamen recessus imperii intimius perpendantur, animadvertisit, hanc eorum mentem non fuisse, ut judici cuicunque civili etiam mediato ejusmodi delictorum coercitionem vindicarent. Potius usos fuisse Magistratus Civilis nomine ad vitandas statuum & nobilium immediatorum contentiones, nobiles enim isti Adyocatæ jura sibi vindicant, adeoque commoda Fisci habent, uti mox patebit.

§. 42. Si qui vero Judices Civiles in pecuniariis poenis ad modum restricti non sint, ii de ejusmodi Criminibus quibus dictare poenam pecuniariam judicis arbitrio relatum est, universim cognoscunt, eamque sibi repetent, & hi sunt illi Judices

dices Civiles quos verba recessuum in nota ad §. præcedentem citatorum comprehendunt. *

* Nempe omnis Civilis Jurisdic^tio , vel competit vi officii vel ad similitudinem rerum in patrimonio nostro existentium ; prima personalis, altera Patrimonialis dicitur. Hæc vel competit per se , vel quā accessoriū prædii cum quo connexa est , prima realis , altera patrimonialis in sensu stricto vocatur. Patrimonialis , vel est fundi exempli ab omni judicum , Magistratum , Ministrorum Ordinariorum potestate , vel non ; prima vocatur Patrimonialis Advocatialis , de quā nunc , altera Patrimonialis vulgaris dicitur , & hæc est de quā hucusque potissimum , uī & de reali egimus ; nam quā personalis est , ex concedentis voluntate directe facilius dijudicatur , realis vero & Patrimonialis , quoniam originem suam ducent ex medio passim ævo ex institutis Germanorum præsertim ejus temporis aestimanda , & dilucidanda visa fuit. Quæ om̄ia videri possunt , nos quoniam nonnisi aliis intellectibus rite possint intelligi , loco conveniente tangemus.

**CAPUT**



C A P U T II.

Subdivisio Jurisdictionis Civilis Patrimonialis in Advocationalem & Vulgarem

Membrum unicum.

De Jurisdictione Civili Patrimoniali Advocatali.

§. 43. **S**i nobis repræsentemus locum quendam V. gr. Ur-
bem, castrum, prædium, villam, &c. liberum ab
omni ordinariorum judicium, Magistratum, Ministrorum
publicorum potestate, & ditione, liberum itidem ab om-
nibus functionibus & præstationibus ordinariis, locus ille
immunitas dicitur; istiusque loci libertas, vocabulo antiquis
pariter & novissimis temporibus usitato, *immunitas* * vocari
fuevit.

* Vocem *Immunitatis* Germani vertunt per vocabulum, *Freyheit*,
Friheit, & quod inde contractum est, *Frid*. Unde *immunitas*
in qua castrum quoddam posicium est, dicitur: *Burgfrid*. *Immu-
nitas*, in qua Civitas posita est; *Weichfrid*. Et columnæ, *immu-
nitatis* limites, *Die Frid*; *Säulen*. Hodiecum adhuc Sedes nobili-
lium & conjuncta cum iis ædificia, quæ *immunitate* gaudent, appellantur:
Die Adliche freye Sige und Vorwerke, *freye Hufen*,
Mäyer Höffe, &c. quibus vocibus eandem, quam vocabulo latino
immunitatis notionem tribuimus, ut nemipe significet, exemptionem,
securitatem ab omni persecutione &c. Vid, *Schilteri Gloss. Teuton. b. v.*
Qui

Qui tamen nimum immunitatis vocem restringit, eandem explicando per exemptionem à jurisdictione Civili.

§. 44. *Immunitatem hanc à vetustis inde temporibus imprætrarunt plurima Germaniæ loca, * eadem non pauca in hodiernum usque diem fruuntur, quanquam temporum usus multa commutavit, ita alicubi vel plane immunitatem sustulit, vel certe præstantissimis eandem juribus truncavit.*

*. V. gr. Villæ & Curiæ indominicatae, quædam prædia Principum, Comitum, quæ in eorum proprietate & dominio existerent, & Allodia dicebantur, Complures Ecclesiæ & Monasteria, imo ex Constitutione Ludovici pii unicuique Ecclesiæ unus certe Mansus ab omni Servitio integer tribuebatur. Vid. Baluz. t. 1. Capitul. 10. p. 565. domus quoque Ecclesiarum, Atria, & Horti juxta Ecclesiam Positi Liberi erant &c. præterea Civitates quædam. De quibus Heider in tr. Von Reichs Bochten. item Castia Villæ &c.

§ 45. Ipsa vero immunitas exemptio solummodo erat à potestate Magistratum Judicum &c. *Ordinariorum*, à Functionibus & Præstationibus *Ordinariis*. Quo nihilominus summi imperantis vel domini territorialis * potestas salva subsistebat in loca ejusmodi. Sicut salvum maneret jus quod sibi universim debetur exigendi, exigendique præstationes & Functiones extraordianarias v. gr. pro Patriæ defensione &c.

*. Proinde & ii, qui vicem imperantis vel domini territorialis tenent, *immunitate* prohibendi non sunt. V. gr. Collegia Superiora, Cancelaria, Curiæ Provinciales, eorumque Mandatarii, seu, uti loquimur, Commissarii. Ceteri sive Judices sive Præfetti quæ *Ordinariis* prohibentur, etam si Negotium specialiter, intra suum tamen districtum explicandum, ipsis demandetur à domino territoriali in causis territorialibus.

§. 46. Judices vero *Ordinarii*, Functiones itidem & præstationes *Ordinariæ*, à quibus effe exemptio, diversis temporibus diversæ * erant, diversisque nominibus indigitabantur.

*. Ita antiquissimis temporibus Judex *Ordinarius* erat Comes in cuius Adyentu varia seabant exactiones, centus solvebantur sub variis nominibus v. lgr. Schoss, Sieur, Schatz, Bete, in lingua nostrate D Venien.

Venientes. Propter eorum Multitudinem certa Frumenti Mensura præsertim Avenæ & hordei conferenda Alibi Vaccæ, Verveces, Porci, Anseres, Pulli, &c., dandi erant. In Transitu Hospitio erat suscipiens, quod dicunt, *Albergiam* seu *Herbergiam*, Athung und la ger auff den Gütern, item *Fodrum* & *Albergam*, Guter und Mahl geben, Pfeffinger in *Vuriario Illustrario* Tom. 4. L. 3. t. 19. §. 94. n.c. Varia præterea à Provincialibus Servitia exigebantur, quales sunt *opera*, quas dicunt, *Angaria* & *Perangaria*, id est, Onus præstandi ad Curum publicum veredos, id est, Equos Celeres Currui Publico deputatos &c. Qui in *immunitate* degebant, sicuti necessum non habebant comparere in placito seu judicio Comitis, ita quoque à præstationibus & Functionibus ei faciendis Liberi erant. idem obtinuit factis Hæreditariis Principum Terris, divisis in plures Minores portiones, & Multiplicatis in iisdem jurisdictionibus §. 36 Sic hodiecum v. gr. *Judex Criminalis* actum sua jurisdictionis nullum in *Advocatia* exercere potest, uti est reum apprehendere, quosdam *Citare Propria* auctoritate *Testimonii*, vel *Confrontationis* causâ, Celebrare Judicium solemne, palos justiziareos, Patibula &c. erigere, consequenter Liberi quoque sunt qui in *Advocatia* degunt à præstationibus & Functionibus Criminali Judici extraneo seu non *Advocato* ratione *Jurisdictionis Criminalis* exhibendis v. gr. à vectura cadaverum extintorum ad locum sepulcri, à comparitione in *Judice* solemini, à contributione ad sumptus Criminales, &c. quanquam recentior usus hac præsertim in re multa commutavit.

§. 47. Patet duo esse præcipua immunitatis capita regulatiter connexa 1. quod sit exemptio à *Judicium Ordinariorum* potestate 2. quod sit exemptio à functionibus & præstationibus *Ordinariis*, utramque exemptionem qui in suo statu conservat, defensor immunitatis, & medio præsertim ævo *Advocatus*, *Vogt*, * ipfaque immunitatis defensio *Advocatia*, *Vogtia*, *Vogtey*, dici suevit.

* Variæ sunt *Advocatæ Species*, etenim defensio seu *Advocatia* vel est mere personarum, vel simul loci cuiusdam v. gr. villa, prædi, Urbis &c. prima *Personalis* altera *Realis*, *Loci*, item *Patrimonialis* in sensu *Latiore* dici potest. Hæc vel conjungitur cum ipso *Loci Dominio*,
Vel

vel ab eodem separatur prima *Patrimonialis* in sensu stricto est, ubi Dominus simul est defensor seu *Advocatus*, uti passim se habet *advocatio* prædiorum nobilium: altera *delegata* dicitur; & vel ita delegatur ut ad personam sit restricta cumque ea saltē desinat, vel ut ad alios quoque possit transferri; prima *personalis*, altera *hereditaria* dici potest, quales sunt *advocatæ* Monasteriorum, Ecclesiastarum, urbium. *Advocatiam hereditariam* rursus per alios posse administrari patet. De *Advocato Patrimoniali* in sensu stricto nunc agemus potissimum, quanquam ceteris locorum *Advocatis* quoque convenient quæ de *Patrimoniali* dicentur, quatenus nempe *Dominum & Advocatum* tanquam unam personam moralem consideres. De aliis *advocatia* sive speciebus, sive synomimis, uti & de ejusdem hymonimis, Vid. *Magerus à Schoenberg de advocatia armata* c. 2: & 3. *Carl. Otto Rechenberg de Advocatis & advocatiis Germanicis*.

§. 48. Duces, Principes, Comites, aliique nobiles cum Principatus, Ducatus, Comitatus &c. hæreditario jure nec-dum possiderent, præter suos ducatus, principatus, Comitatus &c. insignia quoque allodia seu prædia nobilia & libera habebant, quæ ab ordinariorum judicum potestate & ab ordinariis præstationibus & functionibus exemptæ rationem *advocatæ* continebant, & præterea in vera proprietate, & vere in Dominio existebant; ita ut de iis posset libere demum disponi secundum Germanorum instituta; postquam vero ducatus, Principatus, Comitatus Ducibus, principibus, &c. hæreditariè cesserunt; allodiorum seu prædiorum in proprio ducatu, principatu &c. sitorum *Advocatia* quasi expiravit, *judicesque ordinarii* evaserunt * qui iisdem tanquam defensores seu *Advocati* præfuerunt; si vero ista allodia in alieno territorio existerent, nec in superioritatem territorialem abirent, naturam suam retinuerunt, uti hucusque plurima comitum & nobilium &c. prædia retinent in alieno territorio sita.

* Hinc est quod hodie plurimis in locis præsertim in Saxonia, Judices Ordinarii dicuntur: *Advocati*, *Vögt*, à quo tempore pròinde

28 Caput I. Membrum unicum. De Jurisdictione

immunitas sepe hac formula concedi solebat : ab omni advocatione, advectione libera.

§. 49. Cum itaque predium ejusmodi nobile & liberum seu allodium vere tale in vera proprietate seu Dominio esset, ejusmodi Domino omnes utilitates omniaque commoda, nisi quae per se regalia essent, ut à privato possideri non possent intra advocationem cedebant. *

* Atque hæc est ratio 1. HOMAGII Der Huldigung, quod ab iis præsertim *Advocatus* & *Dominus* recipiat, qui bona quædam intra advocationem tenent. 2. FOCAGII seu Censu ararum. Des Herds Rechts. 3. FESTAGII, des Ober-Zimmer-Rechts. 4. DECIMARUM præsertim NOVALIUM. 5. JURIS occupandi res NULLIUS, vel quæ adespota dicuntur. 6. BONADAMNATORUM, vel BANNITORUM. 7. PISCATIONIS. 8. VENATIONIS. &c.

§. 50. Inde ulterius sequitur, dominum & defensorem succedere quoque in jura & commoda judicium ordinariorum etenim Judices ordinarii, seu extranei nihil juris sibi in immunitate vindicare possunt; omnis vero immunitas ad favorem non tam subditorum, quam potius Domini Advocatis introducitur.

* Frequenter in chartis, quibus immunitas conceditur, formulæ hujusmodi occurunt: Nullus iudex intret Advocationem ad causas audiendas, mansiones faciendas, aut frena id est compositionem Fisco debitam, vel tributa &c. sed hac advocatione Domino cedant. Vid. in primis diploma, Ludovici Pii datum Ecclesie Corbejensi Anno 823. in Ann. Paderb. Schatenni. Ubi ejusmodi conceduntur non tanquam specialia, sed tanquam ordinaria jura & commoda immunitatem consequentia. Alia jura & commoda in nota ad §. 46. enumerata; præterea huc referuntur servitia, quæ dicuntur, Pflege-Dienst, Vogt-Dienst, &c. inde petenda ratio Mortuarii, des Haupt-Rechts, aliorumque.

§. 51. Porro Domino, & Defensori competit Imperium intra Advocationem salva subordinatione, quod germani expriment;

munt; das Gebott und Verbott; & quidem soli competit; cum aliorum judicum potestas intra *Advocatiam* deficiat, adeoque, si quæ subditis intra advocationem degentibus *imperanda* sunt, imperare alienus *Judex*, vel ille publicus Minister à cuius potestate exempta advocatione est, sua potestate & authoritate non potest; sed imperanda hæc per ipsum *Advocatæ Dominum*, seu defensorem sunt *

* Hæc est ratio, quod quoque expedit negotia territorialia V. gr. 1. *Edicta & mandata* superioris subditis *annuntiando, promulgando.* 2. *Gerendo Curam politia*, V. gr. pondera, ulnas, mensuras, collegia opificium, molendina &c. inspiciendo. 3. Quod *mercaturam* publicam necdum legibus ordinatam, *tabernas eerevisterias, molendina banaria, &c. concedere*, vel *interdicere* possit. Cæteri vero *Judices ordinarii* seu extranei excluduntur, V. gr. territorialis, de quo mox, quantumvis actus etiam specialiter, intra suum tamen districtum expediendus, ipsi demandetur. Ita excluditur *Judex Civilis* extraneus ne V. gr. quenquam ex advocatione citet, *Judex Provincialis* ne quisquam coram eo comparere teneatur, *Judex Criminalis*, ne V. gr. reum apprehendat, sed eundem, siquidem *Jurisdictionis* ipsius, fundata sit, debito modo, loco, tempore sibi extradi petat.

§. 52. *Immunitatis Domino, & Defensori omnia commoda*, §. 49. & *Jura ordinarii judicis* §. 50. cedunt, imperium omnimode in suos tenet, §. 51. convenienter itaque est, eundem potestate pollere definiendi controversias, * audiendi querimonia, & injurias repellendi, fane si hac potestate careret, suos plene defendere non posset.

* Varia præterea sunt, quæ *Jurisdictionem* quandam *Advocato* competere arguunt. Schiltetus in *Gloss.* teut. voce, *adelerbi*, notat: nobile allodium *Jurisdictione præditum* esse, villanum non item, sicque tanquam notam agnoscendi allodium nobile seu vere tale ponit: habere *Jurisdictionem*.

2. Fridericus 1. Imp. 2. f. 53. *Locorum defensores* (*Advocatos*) Magistris accenser, qui justitiam faciant: *Judices vero, & locorum defensores*.

30 Caput 2. Membrrum unicum. De Jurisdictione.

seniores vel quicunque Magistrains --- qui iustitiam facere neglexerint. Præterea innumeris chartis, quibus immunitas conceditur, tanquam consequentia adjicitur, ut immunitatis Dominus Jurisdictionem quoque exerceat, sive arbitrium penes ipsum stet, sive aliis Jurisdictionis exercitum committat.

3. Qui *Advocati* in medio presertim ævo vocantur, omnes Jurisdictionem exercuerunt; uti *Advocati Rerum Fiscalium, Ecclesiistarum, Monasteriorum, Civitatum.* Quod & usus modernus comprobat. Vid. Wehnerus in *Observ. pract. voce: Vogtey,* & Linkii *Dissert. de Vogteja.*

§. 53. Immunitas itaque Domino & defensori tribuit potestatem controversias dirimendi, querimonias audiendi, &c. seu tribuit Jurisdictionem, quoniam vero cognitio in causis criminalibus potestatem requirit singularem, §. 10. Jurisdiction, quæ ex immunitate oritur, * potestatem cognoscendi in Causis Criminalibus non tribuit.

* Dixi quæ ex immunitate oritur. nam si Rex aut princeps bannum sanguinis advocato *specialiter* concessit, dubium non est, quin Jurisdictionem Criminalem teneat, uti *Advocati imperatorum, principum in Civitatibus, vel Provinciis constituti, die Stadt-Vogtei Land-Vogtei.*

Quod vero specialiter concedi debuit, si quis *Advocatus Jurisdictionem Criminalem exercuit, præter innumeris chartas patet ex illa Ottonis data Anno 1198. Monasterio Corbejensi: & jurisdictiones videlicet & advocacias & comitatus & regales bannos.* Ubi *advocatio à regalibus bannis distinguuntur;* uti hodieum in literis investiturarum separari solet. Vid. etiam Wehnerus, voce: *Vogtey & Linkius in Cit. Diss.*

§. 54. Quoniam dominus, & defensor omnem utilitatem, omnia etiam mulierum commoda intra *advocatiam* solus percipit; delicta quoque omnia (quibus mulieræ pecuniariae sunt propositæ, aut siquidem poena corporalis proposita sit, arbitrio tamen Judicis relictum, eandem in pecuniariam convertere) ipse coercet, de iisque cognoscit; * etenim cum imperium

perium in advocacia teneat, & quidem solus, ipse mulctas si-
bi à subditis debitas solus exigit, & dictat, dictari autem mul-
cta sine cause cognitione non potest.

* Reform. politica Anno 1548, tit. von Lästerung der Mutter Christi: so soll eine jede Obrigkeit / dero an dein Ende buß, und frevel gebühren, solches erfahren / und die Geld-Straff-Ordnung zum besten vornehmen. Quoniam hæc verba præscindunt, sat manifesto indicant, tales in Germania judices esse, qui mulctas indefinite ce-
piant, Jurisdictione Criminali licet destituti. Ejusmodi Judices sunt, de quibus loquimur, *Advocatiales*. Qui omnes mulctas de casibus non criminalibus seu vitam & corpus absolute non concernentibus ca-
piunt hinc in franconia dicitur, der Richter, so alle hohe und niedere Frevel busßen. Vid. Wehnerus, voce; Vogtey. Mulctarum nomina ratione delictorum variorum varia sunt, ut busse, brüch, bro-
cke / Sende-Brücke, bedemunt. &c.

§. 55. Carcer apud Germanos vel ad contumaciam corri-
gendarum, vel in subsidium, si solvere mulctam reus vel non
posset, vel nollet, adhibitus fuit; quæ carceris ratio cum
sit, evincitur advocatæ Dominum posse delinquentes eodem
coercere, * adeoque *jus eidem esse, carcerem tenendi*.

* Ita Domini medio ævo rusticos suos, Magistratus cives suos contumacces, & inobedientes carcere coercerunt. Cujus passim vestigia ho-
diedum supersunt. Wehnerus voce: Gehorsam. Quod vero Carcer
in subsidium soleat adhiberi, patet ex C.C.C. art. 157. Wo aber
der Dieb kein solche Geld-Buß vermag, soll er mit dem Kerker daa-
rin er etliche Zeit lang liegen soll, gestraffet werden.

§. 56. Quæ itaque Jurisdictio ex advocacia oritur, *Crimi-*
nalis non est, §. 53. Jurisdictio non *Criminalis*, quæ tamen
nec causas feudales, nec Ecclesiasticas complectitur, *Civi-*
lis est, §. 15. quæ itaque Jurisdictio ex advocacia oritur, *Civi-*
lis est; adeoque ad eam omnes actiones *Civiles & personales*
& *reales & mixtae* pertinent. §. 38. Deinde omnia delicta,
quæ leges volunt *civiliter* coerceri (non attentâ limitatione,

32 Caput 2. Membrum unicum De Jurisdictione

§. 41. adducta,) adeoque quibus leges aut consuetudo poenam, sed non corporalem proposuerunt, aut siquidem corporalem proposuerint, arbitrio tamen judicis reliquerunt, eandem in pecuniariam convertere. *

* Inde est, quod *indefinita* hoc referantur nunc furta minora in fructibus commestibiliibus tempore diurno commissa, C. C. C. art. 167. ita habet: *Wd aber jettand bey Tage essende Früchte nehme, und durch Wegtragen derselben nicht großen gefährlichen Schaden thäte, der ist nach Gelegenheit der Person- und der Sache burgerslich zu straffen.* Idem valet de furtivis lignorum cæsionibus ex foresis & sylvis, de pilfactione in alienis rivis & flaviis &c.

Patet nunc *quantitas & gradus* hujus Jurisdictionis Civilis, qui est latissimus tantumque agnoscit contra se judicem Criminalem in us criminibus coercendis, quibus leges *absolute* peenam corporalem præfixerunt. Itaque Jurisdictio Civilis differt ratione *modi*, quo quis eam habet, ubi est vel *personalis* vel *patrimonialis*, differt hac ratione *gradus* ubi est vel *vulgaris* vel *advocatalis*, differt vero etiam in Germania respectu ejus cuius authoritate exercetur; prout nempe exercetur vel *anibitate imperatoris*, vel *Dominorum territorialium*; quam sequenti capite considerabimus.



CAPUT



C A P U T III.

Divisio Jurisdictionis ratione constitutionis imperii

Membrum I.

De Jurisdictione qua exercetur auctoritate imperatoris.

§. 57. Duplex in Germania *imperium Civile*, quorum alterum *Summum*, quod est Imperium Civile in Imperio Romano Germanico; alterum *Subordinatum*, quod est Imperium Civile in Provinciis Imperii Romano Germanici, quod dicitur speciali nomine *Superioritas Territorialis*, *Die Landes Hoheit*. Fons Jurisdictionis Imperium est, § 3. Duplex proinde in Germania Jurisdictione occurrit, prout vel oritur ex Imperio *Summo*, * vel ex Imperio *Subordinato*.

*. Antequam enata esset in Germania Superioritas Territorialis, hæc quoque Jurisdictionis distinctio ignorabatur; primum autem passim Superioritatis Territorialis initium fuit, ut status, seu Domini Territoriales *potesṭatem iudicariam* in suo Territorio acquirerent. Non destruit tamen Superioritatis Territorialis ideam Carentia Potestatis judicariae. Quanquam Cætera Regalia, quorum complexus datam quandam Superioritatem Territorialem constituit, necessarium est aliquam Jurisdictionem consequi, quam Territorialem vocabimus, de qua in membro sequente.

§. 58. Summa potestas judicaria, quæ aliis demandata Jurisdictione est § 3 Imperatori in Imperio Romano Germanico

E

sem-

semper competit privative, adeoque reservatum imperatoris est, & semper fuit, recteque dicitur SOLUS, SUPREMUS JUDEX, & FONS * omnis Jurisdictionis.

* Elegans est declaratio Electoris Saxonie apud Londorpium T. I. C. 1.
p. 3. seq. Thero Churfürstl. Gnaden könnten der Käyserl. Majest.
Ihr habende und herkommende Jurisdiction nicht disputiren lassen,
sey Fons Jurisdictionis; alle Exemptiones röhren daher. Wan Thero
Majest. nur in zwey oder drey Calibus reservatis zu judiciren hättet,
was es für ein Käyser wäre: ein Käyser sey nicht Titularis, der
Ehren halber allein, sondern das Haupt im Reich, hätte dem Reich
zu gebieten; und sie zu entscheiden.

Vid. Cæsarinius Fürstinerius von des Käysers Jurisdiction.

§. 59. Potestatem judicariam exercet imperator per *judicia imperii*, quæ cum immutare non possit, uti nec immutare potest modum iisdem justitiam administrandi præscriptum, patet illud imperatoris *reservatum*, esse *reservatum valde limitatum*. *

* Cap. nov. art. XVI. §. 3. Wir sollen und wollen auch kein altes
Reichs-Gericht verändern noch ein neues Aufrichten, es wäre
dan, daß wir mit Churfürsten, Fürsten, und Ständen solches
auf einen allgemeinen Reichs-Lage für gut befunden. §. 56.
Und darinn über die bereits außgerichtete und verbesserte, oder
noch außrichtende oder verbessernde Cammer-Gerichts-Reichs-
Hoff-Raths- und Executions-Ordnung fest halten.

§. 60. Judicia autem, quæ ab imperatore dependent, ita
tamen, ut nec ipsa, nec modum iisdem præscriptum possit
immutare, sunt *judicium Camerale*, & *Consilium imperiale
aulicum*, * tanquam judicia totius Germaniae suprema-

* Instituta est in comitius Worm. Anno 1495. à Max. I. *Camera* ab Au-
la Imperatoris in loco perpetuo separata; aliquoties tamen migrare
coacta, ab Anno 1693. Spira Wetzlarian translatâ est. Eadem ab
initio inde præscriptæ Ordinationes Camerales ab Imperatore cum con-
fensus statuum conditæ, moxque in hunc quoque nexum cum stati-
bus

bus pervenit, ut hi personas ex quibus consisteret judicium, praesentandi jus adquirerent, sed & onus etiam sustentandi illas suscipere deberent, atque in visitationibus judicii mox introductis cum Caesaris commissariis concurrerent. *Judicium imperiale aulicum* post saeculi superioris controversias in pace Westphalica eam indicit formam, qua hodie conspicitur.

S. 61. *Judicia hæc, utpote totius Germaniae Suprema, propter Jurisdictionis suæ amplitudinem Concurrentem exercent Jurisdictionem, * seu eosdem habent Jurisdictionis limites; proinde illud quod semel aditum, primum Jurisdictionem suam exercere coepit, præventione Jurisdictionem suam privative firmavit.*

* Diu controverterunt, an *judicium imperiale aulicum* haberet concurrentiam cum *camera*; dum pax Westph. faceret controversiarum finem, Concurrentiam stabiliri. Vid. Joh. Andr. Gerhard. *de supremis in Imperio Rom. iudicis aulico & Camerali, in quibus ea, inter se vel differvant vel convenient.* & Joh. David Guther. *De causis excelsissimum iudicium Imperiale Aulicum fundantibus, sive concurrentia cum iudicio Camerali.* In quibusdam citra præventionem judicij imperialis aulici Jurisdictione privative fundata est, quarum potissimum sunt, quæ ex reservatis Imperatoris fluunt, uti est concessio venia etatis statibus Imperii, & subditis immediatis impertienda, controversiae de validitate privilegiorum exortæ & de integro ducatu vel comitatu Imperii Ordin. Camer. p. 2. tit. 7. In ceteris præventioni locus est actorique competit electione, nisi obster *Privilegium electionis fori*, quod Regi Sueciae quæ stauit Germania, & domui Brunsvico - Luneburgicæ in casum si conveniantur datum est.

S. 62. Nullum itaque alteri *subordinatum*, utriusque per totam Germaniam porreæta Jurisdictione *Supremæ* est instantiæ, tam respectu mediatorum, quam immediatorum seu statuum in particulari non vero in *Corpore consideratorum*, nisi quod noviore jure quædam causæ generatim sint exemptæ, uti sunt *Cause circulares* quæ concernunt rem circulorum *internam*. *Die innere Kriegs-Civil- und Oeconomise Verfassung der Reichs-*

36 Caput 3. Membrum I. De Jurisdictione

Reichs-Kreysse. Item Causæ Banni * aliæque quæ comitiis sunt reservatæ.

* Imperatores olim principes in bannum suo arbitratu declararunt; Capitulationi Ferdinandi III. primum fuit insertum, ne fiat sine Consilio & Consensu Electorum. Principes in monitis suis ad Capitulationem Ferdinandi 4. & Leopoldinam omnium statuum consensum adhiberi voluerunt, eo quod in omnibus causis majoribus consensus statuum comitialis requereretur. Tandem per singularem constitutionem projecto perpetua capitulationis adjectam cautum, ne imposterum hæc status in bannum declaratio fiat sine statuum consensu, sicutque nunc causa comitialis est.

§. 63. Sicut novius ius causas quasdam generatim à Jurisdictione Cæsarea exemit, ita in particulari causæ mediatorum nonnisi eatenus ad hæc judicia pertrahi possint, quatenus summa earum appellabilis, * nec obstat privilegium de non appellando.

* In R. I. n. §. 112. *Summa appellabilis*, quam etiam *ordinationis* vocant est 60. florenorum. Ultra istam plurimi status per *privilegia de non appellando* quæsiverunt vel *omnimodam* libertatem V. gr. Duces Saxoniae linea Ernestinæ in qua olim refedit dignitas electoralis per privilegium à Ferdinandeo I. Landgravius Hasso. Cassellanus à Carolo VII. & Hasso. Darmstadiensis à Franciso I. Prout eadem quoque gaudent, instaurata sanctione a. b. cap. II. §. 2. omnes Electores. Vel saltem status quæsiverunt *majorem* libertatem sive *summa appellabilis* aucta, vel *certo causarum genere excepto* V. gr. possessoriarum quia celeriter expedienda, injuriarum, cum sint odiosæ, item causa in debitis liquidis & confessatis. Vel *formalibus autis*. Singulorum statuum *Privilegia de non appellando* Perili, Dominus de Ludolff Corpori Juris Civilis subjecit.

§. 64. Quando itaque *summa* est *appellabilis*, nec obstat *privilegium de non appellando*, sive *limitatum* illud sit, sive *illimitatum*, quivis mediatus etiam adire potest hæc summa Imperii tribunalia, ut tamen regulariter non prætereantur judi-

*judicia ad primam aut etiam secundam eorum instantiam à Do-
mino territoriali ordinata.* *

* Pro Rusticis & Civicis communiter duæ sunt ordinatae instantiae in Territoriis, Nobiles, Officiales, alisque honoratores unam tantum agnoscunt. Sique Imperii Tribunalia ratione Rusticorum & Civicorum, tertiam, ratione Nobilium, aliorumque honoratorum secundam continent instantiam. Nisi quod subditis Nobilium Immediatorum atque Civitatum Imperii pariter contingere posset, ut à primo illorum foro statim immediate ad Cæsarem ejusque Tribunalia tanquam ad secundam instantiam provocetur. Hæ instantiae, quibusdam causis exemptis, servanda, si non serventur, evocantur subditi, quod nullus Dominus Territorialis vi Juris de non evocando pati debeat post ordinationem Cameralem p. 111. antè istam ordinationem plurimi modo status Privilegia de non evocando quæsiverant. Vid. Diet. Herman Kemmerich de Jure de non evocando Electorum principum & statuum Imperii aliorumque immediatorum & mediatorum.

S. 65. Immediati cum nullas tales instantias agnoscant, immediate adeunt summa hæc Tribunalia ex regula; etnī, si Jure austriagorum gaudeant, has regulariter præterire non licet.

* Austriæ originem suam habent in magno Germaniæ Intraregno; dum per novendecim Annos nulla haberentur judicia, plurimi jus suum viribus persequabantur, nonnulli arbitrio, & per modum pacis intervenientibus arbitrî seu mediatoribus lites dirimebant; modum hunc vocarunt, *Austriag*, ipsum arbitrum *austriagam*, & jus, vi cuius quilibet fere liber homo demum non aliter quam coram *austriagis* conveniri posset, *Jus austriagorum* vocarunt. De *austriagis* proinde conventiones immediati inter se inierunt, quas postea ordinatio Cameralis non sustulit, sed confirmavit; hinc *austriaga conventionales*. Eadem ordinatio cuiuscumque fere actori contra reum immediatum *Austriagorum* *Jus* concessit, quod postea restrictum ad eos tantum, quibus leges id expresse concesserunt, quæ *legales*. Cum id jus concessum non esset Imperii Civitatis, nonnullæ *jus austriagorum* privilegiis Cæsareis quæsiverunt, de *austriagis* uti & de modo eas consti-

tuendi multi egerunt, quos Citat Sruy. in Corp. Juris pub. c. 25. §. 63. n. 20.

§. 66. Regula itaque, quod immediati *statim* coram summis tribunalibus convenientantur, valde limitata est *jure austregarum*; manet tamen *regula*, non tantum in casum, quo immediati nullas austragas habeant, sed etiam quando causæ ita comparatæ sunt, ut *vi legum*, aut *analogiæ* coram austragis recte non instituerentur.*

* Causæ, quæ in *prima* instantia coram summis tribunalibus instituenda, vel tales sunt, ut, sive sint causæ mediatorum, sive immediatorum, universum ad supremæ tribunalia pertineant in *prima* instantia; vel tales sunt, ut, si sint causæ mediatorum coram judiciis in territorio constitutis prius pertackanda, si vero immediatorum, tunc demum statim coram summis tribunalibus instituenda sint, non attendendo *jus austregarum*; quæ, vel legibus sunt definitæ, uti sunt, quæ constitutionibus de litigiosa possessione in R. I. 1515. §. 57. De pignorationibus in O. C. 1555. p. 2. t. 22. De arrestis in R. I. n. §. 278. vel naturæ austregarum non convenit, ut locum habeant V. gr. quando de *violenta* coercenda agitur, vel ubi non tam notio causæ controversa requiriatur, quam *potestas mandandi*, seu alia talis auctoritas quæ *Magistratum*, non *arbitrorum* est.

§. 67. Causæ communes immediatis pariter & mediatis ita per se comparatæ, ut *statim* sint instituenda coram judiciis Imperii, sunt causæ fractæ pacis publicæ, * & cæteræ quæcunque ita comparatæ, ut vi Juris publici nostri Imperatoris nomine *fiscalis Cæsareus* possit agere ad id quod Cæsar is & imperii interest.

* Ad fractam pacem publicam, zum Land Fried Bruch tria potissimum concurrere debent ut vis illata sit atrox, fiat armata manu, atque ex proposito & dolo. *Causa fiscales* habentur si quis directe violaverit leges Imperii eminentiores. Si quis hostibus Imperii contra hoc auxilium tulerit. Si quis in ferendis Imperii oneribus fuerit morosus. Si quis alterum immediatum exemerit vel se ab altero eximi passus fuerit;

fuerit; si quis Imperatoris summorumque tribunalium jussibus momen-
tum haud gesserit, sive aliter violaverit Jurisdictionem Cæsaream,
si quis libris, scripturis picturis pernicioſa seu injurioſa protule-
rit &c.

§. 68. Per accidens autem causa deferri potest ad judicium
aliquod imperii in *prima instantia*, & quidem triplici poti-
sum ex ratione. 1. Si judicium Imperii sit unice judicium
commune causæ, per diversos plurium judicum limites di-
vise. 2. quia connexa est causæ cuidam principali coram ju-
dicio supremo modo instituta. 3. Quia est causa ejus, cui
competit beneficium miserabilium personarum, * modo ta-
men non alia ejus forte vi juris de non appellando illimitati,
suprema in territorio sit instantia.

* Beneficium hoc ex jure communi in Germaniam est inventum, ut per
sonæ tales, justa causa veluti potentia adversarii intercedente, præ-
teritis foris inferioribus illico ad Supremum Magistratum deferre causas
suas possint, ejusmodi persona sunt pupilli, viduæ etiam apud Ger-
manos vid. Lehman Chron. Spirens l. 2. c. 17.

§. 69. Præter Cameram & judicium aulicum imperatoris
nomine & auctoritate Jurisdictionem in certis definitis tra-
Etibus *Judicia Cæsarea Provincialia*, die *Kayserliche Land-
Gerichte*, excent, quæ ex antiquiore rei judicariæ for-
mula passim supersunt, veluti *Judicium Rothwilense*, *Wein-
gartense*, *Onolsbacense* &c.

* Suevia præsertim plura ejusmodi olim novit *Judicia Imperialia*. Hæc
post interregni magni potissimum tempora, hinc inde fuerunt statuta
ad feryandam pacem publicam, sopiendis controversiis utilia, quæ
judicia in terris mediatis in Ducum principumque venerunt potestatem,
qui constituerunt *Land-gerichte* *Hoff-Gerichte*; in Terris vero im-
mediatis remanserunt *Judicia Imperialia*, *Kayserliche Land-gerichte*,
de iis abolendis in pace Westphalica mentio injecta, eaque repetita
capitulationibus novissimis, eo quod essent hodie superflua, pars
adver-

Caput 3. Membrum I. De jurisdictione

sa variis instantiis divexatetur , juri Tetratorii statuum obesset &c.
Sed adhucdum effectus nullus subsecutus. Vid. etiam bocris in *dissert.*
de indole ac natura judiciorum Germania tam antiquorum quam &c.
§. 34. Sqq.

§. 70. *Judicia hæc in suo quodvis districtu Jurisdictionem*
*primæ instantiæ tum in immediatos * Concurrentem cum sum-*
mis imperii tribunalibus, tum in mediatos concurrentem cum
territoriali eorum foro , utramque subordinatam supremis
imperii Tribunalibus exercent.

Plures tamen immediati nunc ab iisdem vel *speciali Privilegio* vel *con-*
fuetudine , prescritione , ordinatione , vel *transactione* sunt exempti ,
plures quoque Status ratione subditorum *Privilegia exemptionis impe-*
trarunt , certæ tamen causa sunt *reservata* , Vulgo dictæ , Eh: hafften ,
in quibus regulariter exemptionis *Privilegium Locum non habet.*



Capitis

C A P I T I S S E C U N D I.

Membrum II.

De Jurisdictione quæ exercetur auctoritate imperantis subordinati.

§. 71. Quæ ex imperio subordinato, seu ex superioritate territoriali, necessario * oritur Jurisdictio, TERRITORIALIS vocatur, quam proinde necessum est competere omni illi, cui competit superioritas territorialis, sive superioritas territorialis stricte sumatur, quatenus statibus tantum omnibus, territorio non destitutis, conveniat; sive latius sumatur, quatenus nempe denotat imperium qualiscunque immediati, sive status sit, sive non, uti nobiles immediati.

* Etenim ex omni superioritate territoriali omnimoda Jurisdictio necessaria non oritur, plura adduci possent exempla, quibus id constaret; ita in franconia saepius reperiuntur territoria, in quibus alius exercet superioritatem territorialem, alii jurisdictionem unus Criminalem, alter Bassam, vel Vogtejam, tertius Forestalem, quartus jurisdictionem communilitatis &c. Vid. Burgemeisteri Grafen a Saal p. 314.

§. 72. Scilicet, quandoquidem complexus regalium constituit superioritatem territorialem, plura autem & alia regalia complecti possint superioritate territoriali hujus provinciae, quam alterius; non impossibilis est superioritas territorialis, quæ regali illo, quod potestas judicaria dicitur, vel in totum, vel in tantum destituatur. *

* Præterea ejusmodi exempla occurruunt in civitatibus quibusdam imperiali-

rialibus; quæ superioritatis territorialis diversitas ex diversa ejusdem origine repetenda est; scilicet jura illa territorialia, quæ regalia, Herrschaften vocantur, status possidebant olim nonnisi ex titulo speciali, V. gr. privilegio, contractu &c. enata vero superioritate territoriali ea non amplius ex privilegio aut alia concessione, sed jure superioritatis tenebant. Cum itaque V. gr. Civitates potestatem statuendi, collectandi &c. haberent per privilegia, vel etiam *usu*, & *prescriptione*; saltem post pacem Westphalicam, quæ & quæ juris gentium sunt V. gr. milites conscribere, legatos mittere, foedera imire, &c. adeptæ, ea regalia *jure superioritatis* possederunt, siquidem ista pace sub nomine statuum complectantur; potestatem vero *judicariam* cum forte nonnullæ olim vel in *totum* vel in *tantum* non acquisivissent, sed potius *Advocatum*, *Burggravium*, *Schulteum* &c. haberent, qui eandem vel omnimode, vel pro parte exerceret, enata earum superioritati territoriali hæc quoque alteri competens Jurisdictio deerat, vel in *totum*, vel in *tantum*; idemque qui antea, eandem per modum servitutis exercere pergebat in earum territorio.

§. 73. Quanquam itaque status quisquam territorialis destinatur *poteestate judicaria*, cum tamen plura alia regalia habeat eaque ipsi exercendi jus competit, fieri potest ut in *eorum exercitio variae exsurgent lites*, *controversiae*, *dubia*, &c. inter subditos; variae præterea *contumaciae*, *injuriae*, *contemptus dignitatis*, & *poteestatis Domini territorialis* possunt existere, quorum omnium *judex* aliquis sit, necesse est; qui & *dubia decidat*, & *delinquentes puniat*, & cunctos ad *obligationes suas implendas adstringat*, consequenter aliqua *Jurisdictio NECESSARIO* consequitur jura territorialia eorumque *usum*, seu *exercitium*, quam §. 57. in nota territoriale vocavimus. *

* *Jurisdictio*, cum cohæreat *necessitate quadam individua* superioritati territoriali alijs quoque quam Domino territoriali seu statui & cui ab ipso demandata est competere non potest, cum receptum sit, *ut quisque Judex ipse Jurisdictionem suam treuantur*. §. 19. multo magis status territorialis in suo imperio, vel dignitate violata hoc faciet & quæ ad regalia exercenda necessaria sunt, ipsi concedenda sunt.

Quæ exercetur auctoritate imperantis subordinati. 43

§. 74. Itaque, quæcunque admittuntur contra superioritatem territorialem, seu quibuscunque * potestas Domini territorialis laeditur, dignitas violatur, eorum cognitio, & vindicta pertinet ad Jurisdictionem territorialem.

* Huc referuntur proinde *Crimen perduellionis*, *seditionis*, *falsa moneta*, *impresso Domini sui signo vel effigie*, *maledicta contra eum prolata*. *Sigilli*, *Privilegiū*, *salvi conductus à Domino territoriali imperatori violatio* & alia ejusmodi, quæ sunt Crimina non ab alio judge V. gr. *Criminali*, sed à territoriali coercenda, quibus non inepte comparantur casus, quos Galli *regios* vocant, *Cas Royaux*, *delus Royaux*, eo quod pertineant ad Jurisdictionem *Regiam*, seu quæ penes regem tanquam personalis est. Cujus est cognoscere, & coercere, quæ contra ipsius maiestatem sunt commissa. Vid. Tob. Paurmeister de jurid. Imp. Rom. l. 1. c. 16. n. 4.

§. 75. Ipse Dominus territorialis ob negotiorum seu amplitudinem seu multitudinem aliorum uti solet Ministerio in iisdem expediendis; * quibus munus suum obeuntibus, quæ injuriæ inferuntur, iisdem Dominus territorialis ex eorum persona afficitur; injurias sibi illatas Dominus territorialis vindicat, §. 73. quæ proinde Ministeris suis quâ talibus injuriæ inferuntur, ad ipsum Dominum, seu jurisdictionem territorialem pertinent.

* Ejusmodi negotia sunt, *leges promulgare*, *edicta affigere*, *tributa*, *servitia territorialia* & *indicare*, & *exigere*; requiritur autem, ut injuriæ vere Minister inferantur, V. gr. Minister constitutionem promulgat, quâ cavetur aliquid fieri, vel non fieri publicæ utilitatis gratiâ, quod tamen per se illicitum non est, V. gr. ut cadavera pecorum extinctorum sepeliantur, huic constitutioni, si actio contraria committatur, potestas constituentis contemnitur. Quod si id, quod constitutione prohibetur, *per se sit*, illicitum, ad aliam Jurisdictionem V. gr. *Criminalē* pertinere potest, nec delicto contra constitutionem admissible potest dici contempta *præcise* potestas Domini territorialis; præterea hoc §. evincere non fuit animus, ejusmodi delictum ad Jurisdictionem territorialem pertinens, ab ipso, contra quem immediate commis-

sum, Ministro esse coercendum; quod tamen esse, si vice Domini territorialis hanc Jurisdictionem exerceat, sequente §. probatum dabisimus.

§. 76. Quod si quis inobediens fuerit, vel injuriam *hujusmodi Ministro intulerit, qui jurisdictionem ipse vice Domini territorialis exerceat; ille demandatam sibi à Domino territoriali Jurisdictionem * recte tueretur. §. 19.*

* Ita si contra legem noviter promulgatam contumaciae admittantur, *istius Magistratus, qui legem promulgavit, non alterius, est cognitio, & vindicta. Item indicere & exigere debita ab universis tributa, porro servitia territorialia, Landfolgen, Patrouillen, Krieger & Füren, Wege-Besserung, Bewachung der Wäpens auf den Gränzen, Causa metatorum, Einquartirungs & Sachen / ordinatio milium provincialium, Land & Miliz, &c, sunt negotia territorialia, quae per Magistratus, qui vice Domini territorialis judicant, solent expediti; eorum itaque est cognoscere de contentione super hujusmodi exortis, non aliorum. Quod autem nos sub hypotesi, si ejusmodi Magistratus vice Domini territorialis Jurisdictionem exerceant, affirmavimus; id passim ita se quoque habet. Etenim.*

§. 77. Solent territoria paulo ampliora uti ducatus, & principatus in quasdam veluti portiones minores distingui, que olim pagi, *Gawen, dictæ, hodie præfecturæ, Aembter, vulgo appellantur, iis Judex præst passim der Beambte dicitus, qui vice Ducis, seu principis & secundum ejus jussa hanc territorii partem administrat, huicque cura negotiorum territorialium, * quæ per subordinatos Magistratus expedienda sunt, à Domino territoriali intra suam cuique præfectorum committitur.*

* *Ejusmodi negotia quædam in nota præcedente obiter indigitavimus, porro hoc pertinet homagium, quod Dominus territorialis à subditis universis ratione superioritatis exigit, recipere, cuius proinde receptio fit per ejusmodi Magistratum, qui negotiorum territorialium curam habet seu qui *Judex territorialis subordinatus est.**

§. 78.

Quæ exercetur auctoritate imperantis subordinati. 45

§. 78. Itaque judicis subordinati territorialis jurisdictione per totam præfecturam , cui præest porrigitur, ita ut alii minori res judicarii districtus , si ejusdem præfecturæ pars sint; ejusdem potestati subjiciantur , si vero ejusdem præfecturæ pars non sint, ambitu ejusdem licet circumscripti, à Judicis territorialis Jurisdictione liberi quoque intelliguntur.*

* Proinde in tali districtu minori, qui præfecturæ pars est , negotia territorialia expedit, & quidem propriâ auctoritate , qui vero districtus præfecturæ pars non est V. g. immunitas , ad illum ejusdem potestas non extendenda ; nisi speciliter ipsi quoque sit mandata in ejusmodi districtu immuni negotiis ejusdam territorialis cura , quod recte fiat , ex sequenti Capite patebit.



F 3

CAPUT.



C A P U T I V.

*De Jurisdictione, qua competit per modum regulæ, & qua competit per modum exceptionis,
seu de ordinaria, & extra-
ordinaria.*

§. 79. Quando attenditur ad objectum Jurisdictionis, vel tantum eodem continetur Certum aliquod genus causarum V. gr. Civilium aut Criminalium, aut territoria-
lium, vel plura causarum genera V. gr. Civilium, & Crimi-
nalium continentur; prima vocatur Jurisdictio particularis,
altera universalis, * quæ universalis potest esse magis aut mi-
nus universalis, prout ejusdem objecto plura aut pauciora cau-
sarum genera continentur.

* Aliter Jurisdictionem universalem & particularem definit Dn. Boeh-
mer in jur. digest. tit. de Jurisd. §. 34. universalis est qua alicui
in certo districtu sine ulla restrictione est concessa, die Straß-
sen & Gerichte / particularis qua ad certa loca specialia, ubi alius
universalem habet, restricta, Baun- und Pfahl-Gerichte. In qui-
bus si non sibi contradicat, saltē, Straßen-Gerichte, eam no-
bis Jurisdictionem denotare videtur, quæ versatur circa ea quæ in
viis regis contingunt V. gr. arresta delicta &c. & dicitur bannum via
regie, & particularis potius est vocanda. Baun- und Pfahl-Ger-
ichte quomodo inter se differant, & quid significant vide no-
nam §. 82.

§. 80. Tam autem particularis quam universalis Jurisdictio
siquidem ex Regula ad omnes in districtu quodam existen-
tes pertineat ordinaria, * eaque instructus Judex Ordina-
rius dicitur.

* Ita-

* Itaque , sive in uno tantum causarum genere quis sit *Judex ex Regula* in quodam districtu , sive in pluribus causarum generibus , uterque *Ordinarius* erit , qui proinde nonnisi Causarum Criminalium *Judex* in quodam districtu est , *Ordinarius Judex* , nempe *Criminalis* , qui causarum territorialium *Judex* in quadam præfectura existit , *Ordinarius Judex* , nempe *territorialis* , dicitur.

§. 81. Quæ vero Jurisdictio non complectitur certum aliquod saltem causarum genus , & ad personas , regulariter omnes in districtu quodam existentes , in illo causarum genere non pertinet ; sed tantum causas *hujus* , vel *istius personæ* , *hujus* , vel *istius rei* , sive omnes causas *hujus rei* , vel *personæ* , vel rursus nonnisi certum rei *istius* , vel *personæ* causarum genus complectitur ; *Extraordinaria Jurisdictio* , eaque prædictus , *Judex Extraordinarius* dicitur. *

* Ita *Judex universitatis* nonnisi *Judex Extraordinarius* est , cum sit *Judex* tantum Civium Academicorum sive omnes Civium Academicorum cause V. gr. & Civiles & Criminales &c. sive certum solummodo causarum genus V. gr. *Civilium* tantum , ad ipsum pertineant.

§. §2. *Judex* itaque *Ordinarius* districtum quendam seu certam terræ portionem habet , intra quem vel in omni , vel in aliquo saltem causarum genere Jurisdictionem exercendi jus in omnes non exemptos habet ; *Judex* vero *Extraordinarius* districtu destitutus in res solummodo , vel personas ab ordinaria exemptas jus Jurisdictionem exercendi habet. *

* Limites itaque Jurisdictionis *Ordinaria* , sunt limites *istius districtus* , *Extraordinaria* præcise ad locum quendam seu districtum non restringitur ; sed tantum ad personas , vel res ab *ordinaria* exceptas pertinet. Quanquam non impossibilis quoque sit Jurisdictio *Extraordinaria* quæ præterea ad locum quendam sit restricta , extra quem in personas ab *Ordinaria* exemptas , exerceri nequeat , quæ Jurisdictio *palaris* , die Pfahl - Gericht dicitur ; à qua omnino differt Jurisdictio *intra septa* , *circumscepta* , die Binnen - Gericht , Baun - Gericht , quæ

que in una vel pluribus Curibus, seu Curiis ex regula competit, quanquam ultra spatum cuiusque Curiae, quatenus seipibus inclusum est, non porrigitur proinde haec *Ordinaria*, palaris extra ordinaria est.

§. 83. Uterque autem Jurisdictionem suam exercet, *Ordinarius* intra districtum, *Extraordinarius* in res; vel personas exceptas, propria Auctoritate; ita ut nec *Ordinarius* aliorum forte Judicium *Ordiniorum* venia, nec *Extraordinarius* venia *Ordinarii* regulariter indigeat. *

* Cur enim hac iudigeret tam *Extraordinarius* quam *Ordinarius* nulla ratio apparet, siquidem quoque *Extraordinaria* jurisdictione moribus comprobetur & publicam Auctoritatem habeat, & quia eadem semper in districtu judicis *Ordinarii* exercetur tanto minus apparet, cur ad Juris sui exercitium aliena venia indigeret. Dixi regulariter, etenim

§. 84. Judici cuidam ad exercendam jurisdictionem districtus assignatur vel cum exclusione aliorum judicum, vel non; si hoc, nonnisi concurrenter cum aliis judicibus jurisdictionem exercet, nec eos prohibendi jus per se habet; si primum, tunc jus prohibendi ipsi competit; ubi vel assignatus est cum exclusione omnium aliorum judicum * cuiuscunq[ue] generis, vel tantum cum exclusione aliorum in eodem causarum genere, si ius ipsi prohibendi quoscunq[ue] est; si secundum, tantum jus prohibendi est in illo causarum genere, in quo jus dicit.

* Ita judici *Advocati* ius est prohibendi, ne quisunque *Judex extraordinarius* intra Advocati ullum jurisdictionis actum immediatum exerceat, quanquam eadem jurisdictione ipsem caret § 47. econtra *Judex Civilis Vulgaris*, quanquam intra districtum ipsi forte competit jus prohibendi, ne *alius* *Judex Civilis* actum sua jurisdictionis immediatum suscipiat, jus tamen prohibendi, ne *Judex alterius generis* V. gr. *Criminalis*, aut territorialis actum sua jurisdictionis exerceat, ipsi nullum est.

§. 85. *Judex vero extraordinarius*, cum nullum districtum habeat, eidem quoque talis assignari nequit cum exclusione Alio-

aliorum iudicium, sive ejusdem, sive cuiuscunque generis, cum tamen sit *Judex* in causis hanc vel istam personam concernentibus, *Extraordinarius* eodem quo *Ordinarius* modo potest esse *Judex* in iis causis vel cum exclusione aliorum iudicium generis * cuiuscunque, vel generis cum ipso ejusdem.

* *Eiusmodi* judices sunt *Advocati mere personarum*, qui, eti forte in Causis Civilibus judices essent earum personarum quas in protectione haberent, in ceteris tamen, uti in Criminalibus nuda protectione nonnunquam gavisi sunt.

§. 46. illud autem, *cujus causae* sunt exceptae à Jurisdictione ordinaria, cum esse possit vel *res*, vel *persona*; patet Jurisdictionem *Extraordinariam* inde abire in *personalem* & *realem*, prout vel versatur circa causas *rei*, aut circa causas *personae* cuius causa sunt exceptae à Jurisdictione ordinaria. *

Utraque tam *personalis*, quas *realis rursus* in in variis distingui potest species, prout personæ vel res sunt diversæ, circa quarum causas versatur. Ita passim *personales* sunt hæ Jurisdictiones ut *Academica*; *Mariatica*; *Jurisdictione*, quam alibi primates opificum *Zu St. Guidens* *Masters*, *Magistratus* quarundam *Civitatum*, *ordinaria* *destitutarum*, in suos cives, quæ tamen passim mixta est. Item quam *Officiales* in suos *Subofficiales*, *Domini* in *Ministros* suos tenorioris sortis &c. Ita *realis extraordianaria* passim est *Jurisdictione lignaria* dæs *Holt-Ding*, *Märck r. Ding*, *Holtz-Gericht*; *Jurisdictione Communianus* di *Dorfss-Geld Gerichte*, oder *Gemein Hofschaft*. Quæ tamen, ne dissertatione nostra ultra justam magnitudinem extreliceret plene persecui non licet.





CAPUT V.

De Jurisdictione voluntaria & contentiosa.

§. 87. **J**urisdictio latius sumpta dividitur in *contentiosam* & *voluntariam*; *contentiosa* est, * quæ ita exercetur, ut in ipsius exercitio aliquid pro justo habendum Jūdex possit velle, et si partes, vel pars saltem id pro justo haberī nolit.

* Communiter definitur, *quod sit ea, qua in invitō exercetur*, verum non requiritur, ut partes actu inviti sint, sufficit, *quod, non atten-*
ta partium oppositione, adhuc exerceri possit; nec requiruntur in-
viti, enim in processu inquisitorio contra invitum solummodo exer-
cetur; tantum quas hucusque species Jurisdictionis exposuimus, sunt
species *contentiosa*.

§. 88. Cum ita Jurisdictio contentiosa ita comparata esse de-
beat, ut in invitum saltem exerceri possit, ex *imperio* & po-
testate quadam judicii propria oriatur, *necessē est*; ut proin-
inde tam late pateat, quam late illud *imperium* & *potes*tas se
extendit.

* Itaque in quæ loca, personas, causas se extendit hæc judicis po-
tētas, ad ealocā, personas, causas Jurisdictio *contentiosa* quoque per-
tinet, seu in iis hanc Jurisdictionem exercens est *competens* Jūdex.

§. 89. *Voluntaria* est *Jurisdictio*, * quæ ita exercetur, ut
in ipsius exercitio ab agentium voluntate nullatenus discedat
Jūdex.

* Communiter definitur, *quod sit ea, qua in volentes exercetur*, quam,
nisi cum Jurisdictione prorogata voluntaria velis confundere, ita in-
telligas necesse est, ut in *volentes* exerceatur ita quidem, ut in exer-
cito agentium voluntatem unice attendas, nec quidquam suscipias *contra*
eorum

erorum voluntatem; etenim prorogata voluntaria eatus etiam in vo-
lentes exercetur, quatenus partes volunt Jurisdictionem exerceri in
ipso, quanquam in exercitio contra earum, vel saltem unius vo-
luntatem possit procedere.

§. 90. Nullum itaque imperium, nulla adigendi potestas hic
concipiatur necesse est, quoniam negotiorum ex agentium volun-
tate totum peragitur nec ab hac discedere judicilicet, adeoque
proprie jurisdictione non est; * nec positi sunt ei illi limites, quos
contentioſe §. 88. assignavimus.

* Dicitur tamen jurisdictione, & quidem voluntaria, vocabulo à Romanis
sumpto, sed aliter profecto, ac illa, qua Magistratibus Romanis con-
venit, & olim & hodie apud nos comparata est.

§. 91. Quæ negotia ex partium voluntate omnimode per-
agenda sunt, Actus jurisdictionis voluntariae dicuntur; cum ve-
ro limites jurisdictionis Contentioſe §. 84. Voluntaria non
agnoscatur, judicis competentia * in Actibus voluntariae jurisdictionis
attendenda non venit.

* Ita quidem Jure Civili proditum est, & nostro ævo receptum; ut
V. gr. adoptiones, & emancipationes coram quocunque judice recte
celebrentur.

§. 92. Itaque si causa quædam ita comparata est, ut judicis
cognitio in eadem, antequam expediatur necessaria sit, causa illa ad
jurisdictionem voluntariam referri non potest, * Etenim si cau-
ſæ cognitio requiratur, non ex agentium voluntate plane nego-
tium peragitur; & siquidem causæ cognitionem leges requi-
rant, Judex ejusmodi actum aliter suscipere non potest, nisi
probatis facti circumstantiis, adeoque rursus secundum agen-
tium voluntatem non procedit.

* Quod ne quidem apud Romanos Actus voluntariae jurisdictionis fuerint,
qui Causa cognitionem requirerent, est sententia Gundlingii in digest. tit.

de jurisd. Quam p̄ceptoris sui sententiam adoptavit, & elegantissime probavit *Cel. Gebauerus in Comment. de jurisd. C. I. §. 6.*

§. 93. Quæ ex confessione ipsorum agentium liquent, ea cognitionem non requirunt; adeoque, si negotium ita comparatum sit, ut ex ipsa agentium voluntate agatur, jurisdictionis voluntariæ est; econtrario, quæ ex confessione agentium nondum satis liquent, * *Contentio* & jurisdictionis merito sunt habendæ.

* Talia negotia, quæ *Cause cognitionem* requirunt, sunt *alienatio prædiorum minoris, transactio de alimentis testamento relictis, &c.* Multi sunt qui hæc *Voluntarie jurisdictionis*, non *mera* quidem, sed *mixta*, ut ajunt, esse dicant; sed cum distinctio *jurisdictionis voluntaria* in *meram* & *mixtam* legibus non occurrat, & quam Doctores *voluntariam mixtam* vocant, ei fere omnia *contentiosa requisita* teneantur attribuire, recte eadem sub *Contentiosa* quoque comprehendi videtur.

§. 94. *Jurisdictionis voluntariæ* Judex proinde nec *controver-siam aliquam dirimit*, utpote qui causæ cognitionem insti-tuandi nullum jus habet, nec *imperium* aliquod exercet, utpote qui ab agentium voluntate totus dependet, itaque *auctorita-tem* solummodo interponit, eaque, vel est interponenda *ex legis necessitate*, ut actus sit *validus*; vel non; sed tantum, ut *eo certius constet de actus validitate*, quæ tamen validitas per se adesse possit; si *pimum interpositio auctoritatis est necessaria*, & *solenitatis causa*, si *secundum*, *utilis* tantum est; in utro-que casu *testimonium, seu signum est rei bene gestæ*.

* Inde Franzkius in *Comment. ad ff. tit. de jurisd.* eam definit: *quod sit ea, qua in volentes, & de negotio certo consentientes solennitatis & au-uthoritatis causa exercetur.* Et Dn. Bæhmerus in *introd. ad just. digest.* tit. *de jurisd.* §. 10. *Hac voluntaria solennitatis, & auctoritatis gra-tia intervenit.*

§. 95. Quibus itaque in regionibus obtinet jus illud, quod in

in actibus Jurisdictionis voluntarie praesentia judicis, ut signum rei bene gestae, vel testimonium admittatur, * ibi merito ex cuiuscunque judicis persona ratus actus est habendus, eti præsens Judex districtus plane alieni fuisse, nam testimonium cuiuscunque judicis perinde ut cuiuscunque testis in alieno distri. Etu etiam recipi non ambigitur.

* Ita alicubi *donationes, permutationes, renditiones, oppignorationes, interventu judicis* sunt facienda, ut inde testatum fiat, rem bene gestam esse, adeoque quiscumque districtus etiam alieni admitti potest; modo tamen hinc bona libera; seu que *nexus quodam clientelari* non afficiantur, uti sunt, quæ Meyerdingica Hegerdingica item Civica, Dingpflichtige Güter, dicuntur.

§. 96. Illud autem nihil interest, sive Judex alterius districtus adeatur, sive districtum alienum Judex intret, * ad explicandos ejusmodi actus; nullius inde Jurisdictionis turbatio existet.

* Etenim si Judex districtum alienum intrat, id non faciet *potestatis exercenda causa*, utpote cum in ejusmodi actibus potestas nulla concipiatur; sed *testimonii* potius gratia; testes autem alieni districtus admittuntur. Conf. Barth. *Dissert. de Jurisdictione quam persona Illustris & Nobiles per Officiales exercent*, §. 17, p. 484. & Bergerus in elect. discept. for. p. 2. p. 18. Qui *usu Germania, & veluti tacita quadam ordinum imperii conventione* pridem ita obtinuisse, tradit. Sed quid in hac re Ordinum Imperii Conventione opus sit, non video.

§. 97. Imo nihil obstare videtur, quo minus Judex etiam territorii * alieni adeatur, vel territorium alienum intret, etenim tam parum inde superioritas territorialis violatur, quam per testium extraneorum admissionem.

* Bergerus *Loco Cit. veluti tacita quadam ordinum imperii conventione* obtinuit pridem, ut alteri liecat in alterius loco sive jurisdictionali sive territoriali ejusmodi actus voluntaria Jurisdictionis exercere. Recete nunc quidem Bergerus primi §. nostri Membrum probat. Etenim quod ad secundum Membrum quid conventione opus sit, rursus non video.

C A P U T VI.

De Jurisdictione delegata & mandata.

§. 98. JURISDICTIONALICUI COMMITTITUR VEL ITA, UT EAM EXERCEAT
NOMINE PROPRIO, VEL ITA UT NOMINE ALTERIUS; HOC CASU
JURISDICTIONEM MANDATA, ILLO *DELEGATA* * VOCATUR.

* A JUDICE *DELEGATO* DIFFERT *JUDEX PEDANEUS*, QUI ETIAM *JUDEX DELEGATUS* A
ROMANIS VOCABATUR. *JUDICI PEDANEO* COMMITTEBatur MUNUS JUDICIS,
SEU NOTIO, SED NON IPSA JURISDICTIONE; MUNUS ILLUD ELECTUS A PARTIBUS,
& A PRÆTORE CONFIRMATUS EXERCEBAT NOMINE PROPRIO, NON VERO NOMINE
PRÆTORIS, SI ENIM NOMINE PRÆTORIS ILLUD EXERCUisset; NON AMPLIUS
JUDEX PEDANEUS, SED *MANDATARIA PRÆTORIS* FUisset, & NOTIONEM TAN-
QUAM *MANDATAM* & TANQUAM ACTUM *JURISDICTIONIS PRÆTORIS NOMINE*
EXERCUisset, IDEM TRIBUNAL HABUisset, NEC AB EO AD PRÆTOREM POTUisset
APPELLARI.

§. 99. JURISDICTIONALICUI *DELEGATA*, VEL EA EST, QUAE SECUNDUM
ORDINEM IMPERII LEGIBUS CONSTITUTUM PENES ALIQUEM EST, &
PERPETUO USURPATOR; VEL, QUAE SECUNDUM ORDINEM IMPERII LEGI-
BUS CONSTITUTUM PENES ALIQUEM DELEGATUM NON EST, * SED USU
PECULIARI POSTULANTE DATOR, NEC PERPETUO USURPATOR; PRIMA OR-
DINARIA, SECUNDA EXTRAORDINARIA *DELEGATA* VOCATUR.

* CUI MAJESTAS IN REPUBLICA COMPETIT, IS JURISDICTIONEM VEL POTIUS POTE-
STATEM JUDICIARIAM *SUO JURE & NON BENEFICIO ALTERIUS* HABET; CUI ERGO MA-
JESTAS NON COMPETIT, IS EAM HABET, NON *SUO JURE*, SED *BENEFICIO ALTE-
RIUS*; OMNIS JURISDICTIONE, QUAM QUIS HABET *NON PROPRIO JURE*, SED *ALIENO
BENEFICIO DELEGATA* A JULIARIO IN L. 5. FF. DE JURISD. DICITUR ADOEQ[UE]
OMNIS JURISDICTIONE IN REPUBLICA *DELEGATA* DICENDA EST, QUAM QUIS JURE
MAJESTATIS NON HABEAT. & ITA CUIUSCUNQUE MAGISTRATUS JURISDICTIONE *DE-
LEGATA* EST, QVIA ULTIMATO EAM A MAJESTATE HABET.

§. 100

§. 100. *Jurisdictio Delegata Extraordinaria*, seu quæ usū peculiari postulante datur, nec perpetuo usurpatur, vel in causarum genere committitur, vel in causa quadam speciali; prima *Delegata generaliter*, secunda *specialiter* vocatur.

* Sic *Delegata generaliter* est *Jurisdictio Criminalis* apud Romanos uti ex l. i. p. ff. de *Officio ejus cui Mandata jurisdictio*. Si vero Princeps commissionem in causa V. gr. Titii contra Cajum decernat, *delegata particulariter* est.

§. 101. Qui *Jurisdictionem delegat* de ea disponit, id disponendi seu *delegandi* jus, sicuti imperanti concedendum ita jus *subdelegandi* cæteris judicibus *delegatis* regulariter denegandum. *

* Etenim si *Judex delegatus* V. gr. infima instantia alium *subdelegare*, *subdelegatus proprio nomine* jus diceret; & ab eo ad *delegantem* posset appellari, adeoque jus ipsi esset novam instantiam ordinandi. Sic quidem legato suo proconsul potuit *subdelegate Jurisdictionem*, ut à legato ad eum appellaretur. Sed regulariter nulli Magistrati id ab imperante est concessum.

§. 102. *Judici vero delegato in certâ causa jus quoque exequendi* nisi aliter expressum, legibus concessum videtur.

* Cap. 26. & 28. de *officio & potestate judicis delegati*. Quia vero Doctores dissentiant, *consulzus* omnino in praxi est ab eo abstinere, quia *delegans* suam concessionem forte juxta Doctorum opinionem intelligi vult, nisi tamen expresse vel tacite jus illud concessum appearat; sic tacite Imperator committendo certam causam statui cuidam, *jus quoque exequendi* commississe censendus est.

§. 103. Quæ *Jurisdictio alterius nomine* exercenda committitur *Mandata*, eamque exercens, *Judex Mandatarius* erat.

Magistratus *Jurisdictionem mandare Roma res erat quotidiana*; consiste-

sistebant hic ut plurimum in viris illustribus, legum saepe ignarisi, qui hac via ad consulatum, aliasque dignitates graffarentur, quibus dubio procul perquam commodum accidit in resingrata & necessaria magis, quam magna alieno Ministerio uti. Deinde quod in Provinciis illi etiam, qui essent Juris peritissimi summa publicarum rerum cara aliquando supra modum distinserentur, repentinum denique a morbo vel alia legitima causa impedimentum nonnunquam exoriretur, ubi utile perquam, atque necessarium visum fuit, posse privato Jurisdictionem vel ornem mandari.

§. 104. Jurisdiction, quæ alterius nomine exercetur, Germanis non ignota, * et si nec vocabulo Romano usi, nec in hoc negotio Romanorum leges attenderint.

* Ejusmodi judices erant *Vice Comites*, qui absente *Comite*, vel in minoribus causis univerlim *Vice Comitis* judicarunt; immo olim omnis Jurisdiction quæ Patrimonialis non erat, *Vicaria* fuit; nam Rex quidem ipse prælertim in Causis Majoribus Judex in Imperio fuit, cuius vice judicarunt *Comites & Advoatti, Schultei* civitatum Imperialium, Regie ipso præsenti, cætera judicia cellabant.

§. 105. Introducta autem superioritate Territoriali, constitutis, tum Imperii Universalibus, tum in quolibet Territorio particularibus judiciis conventione hanc in rebus inita cum Statibus Provincialibus, quæ prius fuit *Vicaria*, nunc *propria*, * aut *delegata*, coepit esse Jurisdiction.

* Sic, quam exercent Dominii Territoriales, est *Jurisdiction propria*; quam exerceat Camera, Curiae Provinciales, regimina, aliaque quomodo coniuncte nomina collegia, aut Judices, est *Jurisdiction delegata*.

§. 106. Quibusunque tandem Collegiis vel personis sive ab Imperatore, sive a Statibus *Delegata* est Jurisdiction, ita regulariter *Delegata* est ex voluntate delegantis, ut iis non licet *Vicarium* judicem constituere. *

* Nec subsidium ex Jure Romano peti potest; etenim, quæ fuit ratio cur Romanū Jurisdictionem mandarent §. 97. in nota dictam, quæ ad nostros judices non quadrat, eorum solertia, & legum scientia, & circa

circa Commissum inunus fides eligitur, nec belli pacisque negotia ipsi incumbunt, præterea Magistratus Romani suo Jure, ex more Majorum, pro Religione sua Jurisdictioni præerant; nostri vero ex alieno magis, puta Principis, beneficio; ex collati muneris formula; Jurata fide judicant.

§. 107. Siquidem vero Delegantis voluntas expresse vel etiam tacite ex circumstantiis inferatur, * non dubitatur & nostros judices posse Mandare Jurisdictionem.

* Sic si v. gr. Princeps cuidam munus judicis committat, qui tamen saepissime absens, aut aliis negotiis distentus, tum sane in causis quas ipse tractare non possit, Vicarium constituet ex tacita saltem delegantis voluntate. Verum & in hoc Casu Vicarium ab ipso Principe consti-tui saepissime videmus; luculentissimo Argumento, Mandandi licen-tiam concessâ Jurisdictione nequaquam concedi.

§. 108. Præter Reliquias * Vicariæ Jurisdictionis, olim ob-tinentis, Vicaria Jurisdiction in Imperio nec hodie plane ignoratur, qualem esse constat Jurisdictionem, quam Domini per Justiziarios in suis prædiis exercent.

* Reliquias voco, quæ sunt v. gr. in quibusdam provinciis, quod Judi-ces Inferiores in Causis Criminalibus Processum tantum instruant, acta-que ad suprema v. gr. tribunalia, transmittant; si poena Corporalis infligenda; quæ & Sententiam à Principe confirmatam ejus nomi-ne pronuntiant &c. Ubi ipse quasi Princeps Judex est, ceteri ad hoc concurrentes Vicarii sunt.

§. 109. Sic quoque si Dominus Territorialis alicui v. gr. nobili concessit prædium, ita ut Jurisdictionem quoque in eodem habeat, eo ipso Tacite facultatem constituendi Vica-rium dedisse censendus est. *

* Atque illud est, quod usu servari vidimus; sane nec communiter Do-minis Prædialibus est ea legum notitia, nec repugnat fæminam esse Dominam Prædii talis; repugnat vero, exercere Jurisdictionem, quod, si hanc Jurisdictionem vocare libeat Mandatam, nihil obstat; Caven-dum

58 Caput 6. De Jurisdictione Delegata & Mandata.

dum tamen , ne leges Romana de Jurisdictione Mandata statuentes
hic applicentur ; v. gr. *Quod non possit Mandari Imperium merum, qua*
sunt voluntaria Jurisdictionis, quod Mandata non possit submandari; Ete-
niam si v. gr. tale predium alteri locares eo ipso Jurisdictionem ei
Mandares, Conductori vero quis denegaret facultatem Subdemandandi
Jurisdictionem.

§. 110. Potius quæ in Vicaria hac Jurisdictione occurrunt,
ex ea quæ olim obtinuit Vicaria Jurisdictione sunt dilucidan-
da ; * & alia ejusmodi Reliquæ , quæ passim in aliis adhuc
supersunt.

* Sic *Judex Vicarius* in absentia demum judicis , *eius nomine* , Jurisdi-
ctionem exercebat , *Judex in propria causa* cominde non convenie-
batur , adeoque in tantum erat ac si *absens* esset ; hinc ratio reddi po-
test , quare Domini praediales conveniri possint coram *Instituzario* à
subditis , & vicissim .



CAPUT

¶ (59) ¶

¶

C A P U T U L T I M U M.

De Jurisdictione Prorogata Voluntaria.

S. 111. Quando attenditur ad exercitium Jurisdictionis, vel ea jure exercetur inter terminos * suos legitos, vel ultra eos producitur; prima *Ordinaria*, altera *prorogata* dicitur.

* Pro terminorum diversitate quatuor tradunt vulgo *Prorogationis* species, de loco ad locum, de tempore ad tempus, de causa ad causam, seu objectiva, de persona ad personam, seu subjectiva.

§. 112. Si ad id attendatur, quod in se *Prorogationis rationem*, seu causam contineat; *Prorogata Jurisdictio* alia est *Necessaria*, * alia *Voluntaria*; prout nempe *Prorogatio* fit, vel ex legum *Dispositione*, seu *Necessitate*, quæ etiam *Legalis*; vel ex libera partium voluntate, quæ etiam *Conventionalis* dicitur; ortum habet.

* *Prorogationem Necessariam* apud nos obtinere, incertum, an legum Romanarum beneficio, nemo ignorat; ita *Necessario objective* quandoque prorogatur *Jurisdictio* in puncto incidente; *Subjective* quandoque ob delictum commissum, praesertim in ipso judicio, & contra judicem, litigatorem &c. sic pariter *Necessario* prorogatur nonnumquam in *Reconventione*, & quæ sunt alia *Prorogationis necessaria* species, quas plene persequi nunc quidem non licet. De *Voluntaria prorogatione paucis*, quid judicemus, adducendum.

§. 113. *Jurisdictio* præcipue in *potestate adstringendi* consistit, hæc ubi deficit, ceteri jurisdictionis actus sunt frustranei; per se patet, judicem, quatenus in eum *prorogata* est *Jurisdictio*, *Imperio* & *potestate* sibi propria uti non posse; judicem proinde, cui in dato Casu *Jus adstringendi* compe-

tit, necesse est, ut in subsidium requirat; qui cum forte pre-
cibus locum non dat, *vinculum Juris* adsit, quo ad facienda
ea, de quibus rogatus, adstringatur; alias prorogatio ad ef-
fectum certo non perducetur, & recte fiet. Quemcumque au-
tem fere Casum praesente Imperii constitutions formabis, *
Vinculum illud semper saltem *dubium* erit, adeoque proro-
gationem *voluntariam*, etiam de Persona ad Personam, nullo
fere Casu *recte* fieri intelligetur.

* Potiores Casus sunt, si subditus proroget Jurisdictionem alterius Dominii
Territorialis; si subditus judicis Patrimonialis alterius ejusdem districtus,
sive is quoque sit Patrimonialis, sive etiam Officialis judex; Denique si
subditus prefecti, seu Officialis Principis proroget Jurisdictionem ejusdem
districtus judicis, sive Patrimonialis, sive Officialis.

S. 114. Dominus Territorialis aut ejusdem judex non
tenetur permittere, subditum Prorogare Jurisdictionem in
judicem alterius Territorii; multo minus latam à tali judice
sententiam, aliaque ejusdem iussa exequi, nulla enim lege pu-
blica hæc obligatio imponitur, jus vero Romanum, & Cano-
nicum institutis his nostris non quadrat.*

* Schilter exercit, ad ff. VI. §. 23. Dissentit Leyser Med. ad ff. Spec. 39.
Med. 5. ob lubricitatem rationum à Strikio in Medium prolatarum.

S. 115. Judex Patrimonialis, * etiam in sensu lato talis, non
tenetur permittere suis subditis, ut Jurisdictionem in judi-
cem alterius districtus, sive Patrimonialis sit, sive NON,
proroget.

* Dominus Patrimonialis Jurisdictionem suam ejusque comoda in Patri-
monio suo censet; Cujus Patrimonii minuendi licentiam nemini, om-
nium autem minime subditis, est concedenda. Habent Jurisdictionem
suam titulo plerisque oneroso; ubi verosimile non videtur,
Principem vendendo v. gr. Jurisdictionem, eas approbasse leges; qui-
bus in manu subditorum esset, rem à Principe legitime cessari pror-
sus atque demissam, pro arbitrio reddere dubiam atque infructuo-
sam.

Sam. Vid. B. Franckenstein in *Diss. de Locatione Jurisdictionis Cap. 3.*
§. 5.

§. 116. Denique Praefecti Domini Territorialis quoque
permittere non tenentur, ut subditi *Prorogenit* Jurisdictionem
Judicis districtus alieni, sive Patrimonialis, sive Minus.

* Ipsam quoque Schilterum hic adversarium experimur, qui hucusque
noster fuit. Is in Casu praesenti leges Romanas de prorogatione non
expresse abrogatas, ideoque in dubio semper loquentes, Statui Reip.
nostræ non repugnare putat, ut repugnant in Casibus antecedentibus.
Verum cum fines Jurisdictionum ita sint intricata & confusa apud nos
ut potius de iisdem restituendis atque ordinandis cogitandum esset quam
legis peregrina beneficio eos magis confundere, atque impedire, me-
rito praefecti Principum obsistunt ejusmodi principiis, nec in aliena
fora subditos suos pertrahi patiuntur nisi consuetudo aut lex particula-
ris Manifesta. Quam Gundlingius rationem plane singularem adducit
ad *Jus d. b. Jure Patrio* §. 34. hic adducere superseedemus.





COROLLARIA.

I.

Ad consuetudinem validam requiritur consensus imperantis, potest esse expressus, tacitus, specialis, sufficere quoque potest generalis.

II.

Dotem repetere effectus est potestatis Patriæ, eam vero constitucere ad paternum pertinet officium.

III.

Allieganti jus Romanum ejus receptionis probatio merito injungenda est.

IV.

Donationum & testamentorum insinuatio Jure Romano facienda erat Judici ordinario, id est in Urbe Magistro census, in provinciis vel rectori ejus quam

provinciæ vel magistratui Civitatis defensorive , ne-
quaquam alterius Provinciæ Magistratus major sive mi-
nor hac in re adiri potuit.

V.

c

Plures masculi qui cum eadem fæmina tempore ci-
viler eodem concubuerunt unde ipsa imprægna-
ta est , obligantur ad partum inde editum alen-
dum.

V.I.

Mortuo primo acquirente ejus liberis & hæredibus
usus privilegii negari non potest ob hoc unum
quod precibus & gratis non pretio sit obtentum.

VII.

Per victoriam inter victorem & devictum non con-
stituitur imperium seu bellum etiam justum non
est modus constituendi imperium sed ad summum tan-
tum occasio.

VIII.

Liberæ imperii Civitates jus habent quo aspirent ad
simultaneam re & Correlationem in comitiis im-
perii Romano - Germanici.

IX.

I X.

Jus non est eundi in partes in negotiis Religionem
non concorrentibus.

X.

Princeps Augustanæ confessioni addictus transiens ad
Religionem Catholicam Jus retinet etiam positivum
circa sacra protestantium subditorum.



Kr 2309

X2368165





83/4
3

DISSE R T A T I O DE NATURA ET INDOLE P R A E C I P U A R U M SPECIERUM JURISDICTIONIS Germanicæ Politicæ.

Q U A M
In Alma & Perantiqua Univerfitate
Colonienſi Ordinario ſub
P R A E S I D I O

Prenobilium, Clarissimorum, Consultissimorumque
Virorum ac Dominorum,

D. GERARDI ERNESTI HAMM,
J. U. D.

Professoris Ordinarii, & Publici, Venerandæque Facultatis
Juridicæ Dictatoris,

Nec non

D. GUILIELMI DE MONTE, J.U.D.
Professoris Ordinarii, & Publici, ejusdémque Facultatis Fisci,

Pro consequenda in utroque Jure Summi Gradūs Licentia in
Publico Juris Auditorio Defendet
Author

MATTHIAS CLASEN, ex Eckem.
Anno 1754. Die Mensis Julii.

Coloniæ Typis GEREONIS ARNOLDI SCHAU BERG.
Cum Privilegio Venerand. Utriusque Juris Facultat.